



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Disputatio VI. De Possibilitate & Principiis Visionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

TRACTATUS III.

De Deo prout scibili intuitivè.

Off Tractatum de Deo sciente, subnectimus Tractatum de Deo scibili intuitivè; proximè enim se consequuntur sciens & scibile. Sed si non attendetur ad commoditatem Auditorum possit bene hic Tractatus post Trinitatem etiam rejici, cum esse Deum Trinum, perferat quodammodo Deum in ordine ad se, noscibilem autem esse intuitivè à creatura, est perfectio relativa ad extra. Sit

DISPUTATIO VI.

De Possibilitate, & Principiis

Visionis.

Duas partes habebit disputatio, ut titulus ostendit. Sit

QUÆSTIO I.

An sit possibilis Dei Visio?

Attingemus in primis primum Visionis prædicatum possibilitatem. Sit

DIFFICULTAS I.

An possit demonstrari impossibilitas, vel possibilitas Visionis?

dicendum 1. Quod visionis impossibilitas demonstrari non possit.

PROBATUR 1. Quia oppositum fidei demonstrari non potest, fides autem docet dari visionem.

PROBATUR 2. Quia nulla talis implicantia asserri potest.

PROBATUR 3. Quia ex genere suo non repugnat cognoscere Deum, aliàs nec demonstrare, nec negare illum possemus; si non est cognoscibilis. Item, non repugnat notitia Dei ex genere suo intuitiva: Aliàs nec Deus seipsum nosceret intuitivè; nec repugnat hæc duo conjungi in creatura; cur enim? Ergo possibilis est notitia intuitiva Dei in creatura.

Objicitur 1. Illa visio creata, & esset infinita, & non esset: Non esset quidem, ut omnes concedunt; esset autem infinita; quia visio & notitia, eo est perfectior, quod objectum est perfectius: Ergo si objectum sit infinitè perfectum, visio erit infinitè perfecta: Sed Deus est ob-

jectum infinitè perfectum; Ergo ejus visio, erit infinitè perfecta.

In solutione hujus argumenti laborant ingenia, & plurimi recurrunt ad hoc, quod objecti perfectioris non arithmetice, sed geometricè notitia sit perfectior. Sed quia hanc responsionem refuto in materia de peccatis circa infinitatem peccati, nec in præsentia illam usurpo.

Hinc

RESPONDETUR. Quod objectum est perfectius, eo cognitionem esse perfectiorem extrinsecè, & terminativè, sed non esse perfectiorem specificatione intrinsecà & entitativa. Explicatur distinctio. In omni actione quædam est specificatio intrinseca, quædam extrinseca: Intrinseca effectivè desumitur à principio productivo; nam cum specificatio rei sit entitas rei, sicut ipsa entitas rei desumitur à productivo, ita & specificatio desumitur effectivè à productivo; formaliter autem desumitur ab ipsis prædicatis rei, cum specificatio non distinguatur realiter à specificato. Alia est specificatio extrinseca, & hæc habetur ab objecto: Porro, quod objectum est perfectius, eo extrinsecè & terminativè notitia est perfectior, sed non est necesse, esse perfectiorem intrinsecè: quia aliàs opinio & error de Angelo, esset melior, demonstratione quadraturæ circuli, quia Angelus, est quid perfectius quadraturâ. Quod si quod perfectius est objectum, sufficit ut non nisi terminativè sit perfectior notitia, sufficiet etiam ut visio Dei præ aliis notitiis, sit infinita terminativè, licet non

infinita entitativè. Quamvis autem concedendum sit, quòd actus specificentur ab ordine intrinseco sibi ad objecta, quia tamen hic ipse ordo, dicit aliquid extrinsecum, hoc est objectum, & aliquid intrinsecum, nempe ipsa rei prædicata, fiet ut si ipsius actionis prædicata, non involvant infinitatem, nec ordo intrinsecus involvat, nisi fortè infinitatem extrinsecam.

INSTABIS. Positio infiniti, arguit perfectionem infinitam; Ergo & cognitio objecti infiniti, arguet perfectionem infinitam; quia modus tendendi per effectum non est ita nobilis, quàm modus tendendi per notitiam, & sic perfectius est noscere calamum, quàm producere.

RESPONDETUR. Quidquid sit de Ant. Negatur Conseq. quia ad hoc ut ponatur effectus, debet ille in causa, vel formaliter, vel eminenter contineri, consequenter nec excedet perfectione causam; non est autem necesse, ut cognitio contineat entitativè perfectionem objecti; aliàs nec nos possemus cognoscere unquam Deum, nec videre hominem, fidelis canis. Porro producere & noscere, habent se sicut excedens & excessum; nam ordine quidem, noscere, est quid excellentius; ceterum si virtus causandi, & virtus noscendi comparentur ad objecta, non habent æqualitatem; quia effectus nobilitate non superat causam, cum objectum, nobilitate, superativum possit esse notitiæ.

OBJICITUR 2. Visio illa non potest fieri, nisi creatura rationalis ad id elevetur; non potest autem elevari, quia ad nihil elevari potest potentia, quod est extra illius objectum; Deus autem est extra objectum visivæ nostratis; quia naturaliter Deum videre non possumus.

RESPONDETUR. Quòd nihil elevari potest extra suam sphaeram, & objectum potentia obediæntialis, licet possit elevari extra suam sphaeram, & objectum potentia suæ naturalis; toties autem aliquid elevatur non extra sphaeram potentia suæ obediæntialis, quoties elevatur ad actum, qui ordine quidem distinctus est, licet similes alius ordinis, illa eadem potentia, in suo genere, producat; atque ita quia producit noster intellectus aliquas intuitivas intellectiones, & quia noscit ipsum etiam Deum, bene poterit elevari ad notitiam intuitivam Dei. Ex eo tamen non sequitur Deum esse objectum naturale intellectus creati, si ly naturale, sumatur pro viribus naturalibus attingibile; licet sit naturale, hoc est, à principio tali noscibile, quòd similes actiones qualis est visio, in suo ordine producat.

OBJICITUR 3. Oculus corporeus non potest elevari ad videndum Deum, nec creatura quævis ad comprehensionem; Ergo nec ad visionem.

RESPONDEBITUR infra huic argumento. PP. autem qui oppositum videntur sensisse; ab

aliquibus, ut à Vasq. dicuntur fuisse in opposita sententia, sed ante definitionem Ecclesiæ.

Alii dicunt intelligendos de visione comprehensiva, vel de visione corporali, vel de visione in hac vita per ordinem ad potentiam ordinariam.

DICENDUM 2. *Visiois possibilitatem demonstrari non posse, seclusa revelatione.*

PROBATUR, quia nulla talis demonstratio adferri potest, & cum sit supernaturalis, non habet ullam sui causam naturalem, nec effectum naturalem, ex quibus duobus, deberet confici demonstratio; causas autem & effectus supernaturales, naturali lumine, non attingimus demonstrando.

OBJICIT 1. Quiros d. 23. Licet hanc rationem non appellet demonstrationem. Natura rationalis est capax veræ beatitudinis; hæc autem non stat nisi in visione Dei; beatitudo enim talis in nullo bono finito consistit; sed in infinito; seclusa autem visione nostra beatitudo staret non nisi in cognitione Dei in creaturis, adeoque staret in bono non infinito.

RESPONDETUR. Habitâ sola demonstratione de Deitate, & ejus perfectione consisteret beatitudo nostra in aliquo infinito terminative; neque enim beatitudo formalis stat in infinita entitate notitiæ. Et licet notitia Dei in creaturis sit finita ratione medii; non tamen ratione objecti æterni, estque finita ratione præmissarum, sed non ratione subiecti conclusionis; & quid si una perfectio Dei, per aliam demonstraretur?

OBJICITUR 2. Demonstrabile esse, Deum posse agere supernaturalia, demonstrabile item est, quòd qui potest in aliquo genere circa aliquod objectum inferius, potest & superius; Ergo cum noscat Deum naturali cognitione creatura rationalis, poterit illum etiam videre.

RESPONDETUR ex multis principiis, hoc Arg. non esse demonstrativum: Nam in primis, non potest positiva ratione demonstrari, Deum posse agere supernaturalia, sed non nisi principio negativo. Non implicat; qui medius terminus nihil demonstrat. Rursus, quando potest elici actus imperfectus, potest elici & perfectior, si non implicet; tu autem positive non probas, quòd non implicet intuitiva Dei visio. Rursus tunc solum quando possumus imperfectius, potest fieri & perfectius, quando imperfectius, est via ad perfectius. Et ita, qui potest dicere A. & B. potest dicere & BA. Ceterum si portare possit aliquis quinque, non sequitur quòd possit portare centum.

Idem principium aliter proponit Scotus. Perfectio quæ convenit potentia inferiori, convenit & superiori intra idem genus; Ergo cum potentiis inferioribus conveniat intueri, conveniet & intellectui, adeoque conveniet intueri Deum.

RESPON-

RESPONDETUR, Arg. multum probare; Probaret enim, quod creatura naturaliter possit videre Deum, cum idem conveniat potentiis inferioribus. Deinde cur non poterit intellectus esse contentus intuitiva in aliis materiis non excedentibus, modo essendi & modo ordinis; absolute autem loquendo assumptum principium non convincit, quia habitus fidei est potentia superior intellectu, idque multo magis si intellectus est potentia distincta realiter; & tamen intellectus habet vim noscendi evidenter, non habet autem fides. Intellectus item, est superior potentia auditiva, nec tamen percipit sonum sub ratione soni, sed sub ratione veri; ad maximum ergo vera est illa propositio, si negata illa perfectione in potentia superiori, sequeretur hoc ipso, illam dejici ad statum inferioris.

OBJICITUR 3. ex S. Thom. hic q. 12. a. 1. in corpore; cuius discursus, prima pars in hoc stat; *ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistit*; Hæc autem operatio est in visione Dei.

RESPONDETUR S. Thom. assumere hoc principium, ut congruentiam petitam ex fide; Unde concludendo ait, *quod est alienum a fide*. Ex certis consistit nostra beatitudo in perfectissima operatione possibili; tu autem non demonstras esse possibilem creaturæ intuitivam Dei.

Secunda pars mediæ termini in hoc est; Quia *scilicet inest hominis naturale desiderium cognoscendo causam cum intuetur effectum*, consequenter agnoscens creaturas esse effectum Dei, desiderabit videre ipsum Deum.

RESPONDETUR. Inesse homini desiderium noscendi causam notitiā sibi possibili; tu verò non probas visionem Dei esse possibilem; vel tunc volumus videre causam, quando videmus ipsum effectum in ratione effectus; nos autem intuitivè effectum productum à Deo, in ratione producti à Deo non noscimus; licet noscamus per demonstrationem abstractivam, quod Deus sit causa creaturarum. Denique, tunc viso effectui appetimus videre causam, quando sensus notitiam perficiuntur visione effectuum, ita peracuerentur visione causæ.

Idem principium sic aliter proponitur. Possimus Deum cognoscere abstractivè; Ergo possimus etiam intuitivè.

RESPONSUM supra negando Conf. præcipue si sit impossibilis intuitiva; cuius tu possibilitatem non demonstras: Et sicut ex dicto antecedente, non tenet consequentia ad probandum possibilem esse nobis comprehensionem; ita nec tenebit in præsentem.

Idem principium proponitur ulterius. Impossibile est appetitum universalem fraudari; omnes autem homines appetunt visionem Dei.

RESPONDETUR. Schola Epicuri, Mah-

metis, idololatrarum, nescientium demonstrationem immortalitatis animæ Philosophorum, id non appetiit. Sed posito etiam quod assumitur, dici posset: Non absoluto & efficaci appetitu, sed non nisi conditionato id appeti.

ADDIT bene Arriaga. Quod appetitus non regatur per objecta prout sunt à parte rei, sed prout proponuntur ab intellectu, vel phantasia, ergo ex eo quod appetitus id appetat, non potest inferri id jam esse possibile; intellectus enim pro sua parte errare potest, ut erravit Jovi deitatem tribuens.

OBJICITUR 4. Deus continetur sub objecto adæquato intellectus, hoc est, Ente; Ergo potest intuitivè videri.

RESPONDETUR. Argumento multum probari; probaret enim posse; à nobis etiam comprehendere Deum. Addo nec Angelus potest id demonstrare, quia quamvis comprehendat nostram potentiam obedientialem, & elevabilitatem ad supernaturalia, comprehendit illam secundum id, quod dicit in recto; hoc est secundum quod dicit naturam humanam; sed non comprehendit ratione terminorum, & connotatorum elevationis, nisi fortè confusè; alias deberet comprehendere ipsummet Deum, qui est terminus, ad quem elevamur.

OBJICITUR 5. Ex Lugo in manuscriptis apud Quiros. Omne objectum potest terminare cognitionem intuitivam inadæquatam, ergo & Deus; sed Deus se non potest intuitivè inadæquatè noscere; Ergo sola creatura ita illum noscet.

RESPONDETUR. Majorem non demonstrari, sed probari sola inductione, quæ procedit non nisi de rebus creatis.

NOTO ad solvendas alias objectiones. Quamvis ad videndum Deum non requiratur actus infinitus, nihilominus inde non demonstratur possibilitas visionis? Quia nec demonstratur possibilitas visionis viribus naturæ: Quamvis autem visio sit quid finitum, nihil obest: Nam spoliare materiam quantitate, non requirit vires infinitas; & tamen hoc non competit creaturæ. Quod si recurratur ad elevationem? Recurratur ad principium. Non implicat. Concedi etiam potest, quod si detur infinita albedo, illa possit videri ab oculo, qui de facto datur; inde tamen non sequitur posse etiam nos intuitivè videre Deum; quia de facto gradus albedinis videmus intuitivè, nullam autem perfectionem Dei videmus intuitivè.

DIFFICULTAS II.

An possibilis sit Visio Dei in entitate materialis?

UNIVERSALITER pono titulum, ut procedat de potentia materiali noscitiva, & non de solo oculo corporeo: Quæ in difficultate, certum

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Tom. I. c. 2.
D. VI

tum est, quod impossibilis sit visio, siue a potentia materiali, quacunque, siue producta ab oculo corporeo, quæ attingat Deum, & tamen sit sensatio: Et esset enim sensatio, & non esset; esset ut supponitur, non esset autem, quia sensatio, est ejus quod sentitur; Deus autem, utpote incorporeus, non potest esse quid sensibile. Dicere autem quod non hoc sit, quod assumitur, sensatio; est non accipere sensationem propriè, ut hic de illa.

Sed poteritne dari potentia materialis productiva notitiæ in entitate spiritualis, quæ mediante, noscat objectum spirituale? Communiter impossibilitas talis potentie materialis agnoscitur; quia effectus & actio non potest esse nobilior suâ causâ; spirituale autem, est quid nobilior materiali. Sed si quis diceret, hunc defectum aliunde suppleri, agrè convinceretur.

In præsentia de hoc maximè quæretur; An sit possibilis potentia materialis, quæ producat notitiam in entitate materiale, & nihilominus attingentem spiritualia; ita ut potentie illius objectum conflatur ex materiali & spirituali; sicut etiam constat in noscitivis spiritualibus, & sicut objectum adæquatum sensus communis, est conflatum ex objectis sensuum particularium.

Punctum Difficultatis I.

tis I.

Examinantur Implicantie contra possibilitatem notitiæ materialis attractivæ spiritualium.

I. **IMPLICANTIA** est. Implicat potentiam ferri extra suum objectum; at res spirituales sunt extra objectum potentie corporeæ. Ergo.

RESPONDETUR. Negando Minorem.

Idem principium sic proponit amicus d. 9. f. 5. Potentia cognitiva, debet habere formalem proportionem cum actu cognitionis, eoque mediante cum objecto cognoscibili in eodem genere proximo vitæ; sed potentia materialis, non habet formalem proportionem cum actu cognitionis, eoque mediante, cum objecto spirituali; Ergo objectum spirituale, noscere non poterit.

RESPONDETUR. Inter notitiam materialem & objectum spirituale non esse proportionem in ratione entis, sed nego quod implicet proportio in ratione cognoscitivi & cognoscibilis: Ita inter Deum infinitum, & Angelum finitum non est proportio in ratione entis, est in ratione noscitivi.

INSTAT amicus. Potentia cognitiva non est tantum productiva, & receptiva cognitionis, sed etiam perceptiva objecti, mediâ notitiâ rei; hoc autem non potest fieri absque formali

proportionem in eodem genere proximo vitæ, cum ipsa cognitione; imago enim non confert suum effectum formalem representandi imaginatum, nisi subiecto idoneo, & proportionato; ut patet de visione, quæ posita in lapide, non reddit eum videntem: Sed res spirituales non possunt representari nisi per intellectionem; non enim datur sensatio spiritus.

RESPONDETUR. Non implicare ut res spiritualis representetur per intellectionem non spiritualement, sed materialement; quam, si vis cum aliquo abusu loqui, voca sensationem ratione principii, hoc est procedentem à principio materiali, licet non sit sensatio terminativè, cum non attingat sensibile. Quamvis autem concedamus per actum vegetandi quæ talem, non posse quidpiam nosci, quia cum actus vegetandi non sit de linea noscendi, quomodo noscet? Sed cum ex una parte possit esse cognitio materialis de linea noscendi; ex alia parte, non implicat contradictionem, ut attingat spirituale, benè illud attingere poterit.

Idem principium proposuit sic pie memorie meus in Theologia Magister, P. Wenceslaus Darovvski. Si potentia sensitiva posset percipere objectum spirituale, perciperet illud vel principiatâ à se sensatione, vel principiatâ à se intellectione: Neque enim quidquam medium cogitari potest: Sed non percipit primo modo, alias objectum spirituale sentiretur; quia id cuius est sensatio tanquam objecti, necessariò sentitur; res autem spiritualis utpote immaterialis, sentiri non potest. Secunda pars prob. Potentia sensitiva dicit necessariò ordinem ad sensibile tanquam ad terminum adæquatum, sicut scientia necessariò est ad scibile tanquam ad terminum adæquatum; & tamen tunc illius potentie, non esset terminus adæquatus sensibile; diceret enim ordinem, & ad sensibile, & ad intelligibile. Hanc ipsam partem sic aliter probabat, impossibile est, ut actus vitalis tribuat denominationem cognoscentis, nisi principio connaturaliter effectivo, vel saltem receptivo, ut scitur ex Anim. sed impossibile est potentiam sensitivam esse connaturale effectivum, & susceptivum cognitionis rei spiritualis; hoc ipso enim non esset jam illa potentia sensitiva; quia si brutum connaturaliter efficeret, & reciperet discursum, hoc ipso non esset brutum.

RESPONDERI potest, huic implicantie ceteroqui bene propositæ, pluribus modis. Nam in primis abusive potest vocari illa notitia sensatio, ut dixi, non ratione termini & objecti, sed ratione principii materialis; distingui autem debere formalitates petibiles ab objecto, à formalitatibus petibilibus ex principio, consentiunt omnes. Et ita aliqui modalitatem quam pro dispositione agnoscunt, dicunt esse entitativè accidentalem, terminativè substantialem. Rursus dici potest, illam notitiam esse intellectionem.

tionem, non quidem in entitate spiritualem, sed materiale, intellectionem tamen. Evidens autem quaestiones de voce posset universiter negari Major, assignarique notitia materialis, quae non implicat: quae notitia esset in hoc similis sensationi; quia non haberet esse spirituale, difformis autem sensationi, quia cognosceret spirituale. Rursus in hoc conformis esset cognitioni spirituali; quia cognosceret spiritualis; difformis autem quia esset in entitate materialis.

Addi posset, quod sicut non recte, nec adaequate dividitur substantia in sensitivam, & spiritalem; datur enim medium non sensitivum, qualis est Lapis; Sic nec recte dividitur cognitio in sensitivam ac spiritalem; non implicat enim illa media; quamvis recte dividatur in materiale, & spiritalem; sicut & ipsum Ens, recte dividitur in materiale & spirituale. Tamen pro praesenti ordine, nullae dantur notitiae, nisi sensitivae & spirituales. Quod autem assumit, illam potentiam materiale pro objecto adaequato debere respicere non nisi materiale, id non convincit; cur enim adaequatum ejus objectum non poterit consistere ex spirituali & materiali quod supra explicatum est. Illud autem quod assumitur: Adaequatum objectum scientiae est scibile, pro praesenti non convincit. Tum quia multum probat, quia probat sensum commune non posse attingere objecta particularium sensuum; probat etiam, quod Deus & Angeli non cognoscant simul materiale & spirituale, sicut scientia non nisi scibile attingit. Tum, quia si ad non scibile extenderetur scientia, hoc ipso non esset scientia, non ostenditur autem quomodo hoc ipso, quod extenderetur potentia materialis possibilis ad objectum spirituale, si jam non futura materialis. Tum, quia non videtur consequentia hoc implicat, ergo & illud aliud implicat, nisi adferatur paritatis ratio. Quae adferuntur de bruto non convincunt nam potentia sensitiva, quae de facto datur principium talem notitiam, destrueretur illius essentia; cum enim essentialiter haec, quae de facto datur potentia materialis, sit non nisi sensibile percipit, hoc ipso, si spirituale perciperet, mutaretur illius essentia: idemque dic de brutis praesentibus. Sed si potentia materialis utrumque posset noscere, scilicet & spirituale & materiale, non mutaretur illius essentia; cum pro materiali dicat, potentiam attingendi utrumque, cujus tu impossibilitatem non probas. Et sicut mutaretur essentia oculi, si audiret; non mutaretur tamen essentia sensus communis, qui utrumque hoc facit, quia hoc est de ratione illius, ut non mutaretur potentia possibilis, si utrumque hoc perciperet, quamvis mutaretur potentia, quae de facto datur, si perciperet spirituale. An vero talis potentia dicenda esset brutum: est quaestio de voce?

2. IMPLICANTIA quâ utitur recentior Suar. in Animasticis. Si aliquis sensus v. g. oculus posset elevari ad videndum Deum, etiam oculus bruti posset elevari; nam oculus bruti est ejusdem perfectionis cum oculo humano, oculi autem humani per PP. non possunt elevari.

RESPONDETUR. In his principiis non concedi, quod de facto sit aliqua talis potentia, quae attingat spirituale: imò concessio quod esset de facto, negat adhuc fore elevabilem Arriaga ad visionem Dei, ob essentialem suam determinationem, non nisi ad videnda creata: Consequenter nec sequetur posse oculum bruti elevari. Deinde hanc inelevabilitatem probat dictus recentior Suar. per solam auctoritatem, hic autem quaeritur implicantia per rationem. Quando autem infra inquirat, per quid distinguatur talis potentia à potentia spirituali. Respond. potest non objecto, sed entitate distinguenda; quis autem sit conceptus spiritualitatis: non est hujus loci inquirere, sed is erit, quem tenebit Suar. sufficienter esse distinctum objecti materialis ab objecto spirituali.

3. IMPLICANTIA est, quâ utitur Martinon. d. 7. Ad eam solvendam

NOTO 1. Quod immerito assumat, quod quamvis non extraheretur oculus extra suam sphaeram, si elevaretur ad videndum indivisibile coloris replicatum, extrahendam tamen potentiam materiale à statu materialis, si attingeret objectum spirituale; de hoc enim quaeritur, praecipue possibilitate pure spectata.

NOTO 2. Quod lineamenta colorum, non possint esse expressiva germanè Dei, sed id rejici in id debet, quod scilicet illi colores affingant id Deo, quod non est in Deo; affingunt enim illi staturam, quantitatem, membra &c. quibus Deus caret. Jam autem illa species expressa materialis, non affingeret Deo quidquam horum. Imaginare v. g. crystallum, aut speculum chalybeum, in quorum utroque resplendet facies humana, quamvis in ratione Entis differant crystallum, & chalybs, totaque differentia erit non in eo quod proponunt, sed in modo Entitatis, quae proponit. Ita & in praesenti esset distinctio non in objecto, quod proponitur ab illis notitiis, sed in Entitate, ipsius modi proponendi.

NOTO 3. Quod reliqua argumenta Martin. impugnent potius potentiam obedientialem, de qua alibi.

Punctum Difficilis 2.

Proponuntur aliae Implicantiae.

QUARTA IMPLICANTIA est, quâ utitur Perez. Quia si hoc fieri posset, potuisset etiam corpus Christi in triduo elevari ad videndum

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Tom 1. e. Z.
D. VI

dendum Deum, & debuisset; nam Unioni hypostaticæ perfectio hæc deberetur, & corpus illud non fuisset mortuum, sed vivum, fuissetque illi Divinitas loco animæ, quod absurdum est.

RESPONDETUR. In istis principiis non admitti oculos, qui dantur elevari posse, nihil ergo applicari potest ad oculos Christi; sed pone hos etiam elevari potuisse; non sequetur debuisse jam elevari, quia non omnes elevabiles potentiarum materialium de facto in Christo, sunt elevatæ.

INSTAT idem. Actus vitæ corporeæ non habet in se formam universalem applicabilem omni objecto, & omni subiecto, intellectio habet formam tendendi in objectum universalem, applicabilem omni objecto, & omni subiecto. Ergo nullus actus potentiae corporeæ, est intellectio. Sed omnis visio Dei est intellectio; quia cum Deus eminenter sit omnia & per suam essentiam est perfecta intellectio, qui Deum videt, potest omnia cognoscere. Ergo nullus actus potentiae sensitivæ est visio Dei.

RESPONDERI potest. Concessurum libenter Arriaga, quod potentia materialis non sit elevabilis ad visionem Dei, eò quod id competat nonnisi intellectioni spirituali. Sed hoc concessio non sequitur quod implicet contradictionem potentia materialis applicabilis omni objecto, excepta ut prædictum est, visione Dei.

Quando autem dicit ex eo, actum vitæ corporeæ non esse formam universalem applicabilem cuicunque objecto, quia brutum non potest dicere, Ego; & si non potest dicere, Ego, non potest habere formam universalem applicabilem omni objecto & subiecto, idque ex eo, quia dicere Ego, est distinguere se ab omni alio, & qui dicit Ego, potest dicere non Ego, quodlibet autem est Ego, vel non Ego. Hinc qui non potest dicere Ego & non Ego, non potest habere formam applicabilem omni objecto, quia omne objectum, ut dictum est, vel est Ego, vel Non Ego. Porro bruta non possunt dicere Ego, quia Ego significat primam personam; bruta autem non habent personam; quia non sunt naturæ intellectuales individua substantia.

Sed neque id convincit: nam Ego, objectivè acceptum, falsum est, quod nonnisi personam notet, sed quodcunque uniter subsistens. Et certè quis negaret quod brutum noscat seipsum experimentaliter, & fame urgente quomodo non dicit canis: Appeto cibum? Venaticus quomodo non dicit, Video feram? quæ omnia objectivum Ego important; & si possum dicere cani, ille, nec ille supponet pro persona, cur supponet semper pro persona Ego? ad alia solvenda.

NOTO. Quamvis potentia visiva noscat coloratum, auditiva sonum per hæcque definiantur, hoc non obstante, potest dari sensus communis, qui attingat objectum reliquorum sensuum, quamvis etiam in definitionem sensus

communis, ingrediatur suum objectum: sicutiam cur non poterit dari potentia materialis, noscens idem objectum cum intellectu, quamvis definitionem intellectus ingrediatur adhuc ratio objecti, salva diversitate definitionum ratione diversæ attingentiæ objecti in utroque.

QUINTA IMPLICANTIA est ex istis quæ sparsim adfert Quiros d. 21. *Primum est.* Non potest Deus palpari, vel olefieri. Ergo nec videri oculis corporeis.

RESPONDETUR. Nihil hic agi de visione Dei, sed de sola notitia materiali, versante circa objectum spirituale. *Secundum* quod adfert est, si semel potentia vitalis posset vagari extra suum objectum, posset etiam intellectus amare, plantæ sentire, res mortua ut lapis elevari ad videndum Deum; neque enim ista magis repugnant, quàm oculum vivere vitâ intellectivâ.

RESPONDETUR. Esse de non supponenti, quod tunc vagaretur potentia extra suum objectum; cum illius objectum inadæquatum, esset etiam Ens spirituale. Quod attinet ad Instantias, prima de intellectu roborat nostrum intentum: in sensu enim reali intellectus amat, licet non in sensu formali. Possibilis etiam oculus est, qui videat, & audiat, & vegetativum, quod simul sit sensitivum.

Decernitur, quid sit sentiendum.

ASSERO 1. *Non esse adhuc deductam implicantiæ, ex principiis intrinsecis, quod sit impossibilis potentia materialis cognitione materiali attractiva objecti spiritualis.* Ratio asserti est: Quia nulla talis implicantiæ allata est. Hoc assertum docuit etiam in recenti Quiros cit. n. 31. Porro, hoc assertum non ponit possibilitatem talis substantiæ, sed nonnisi examinat rationes, iudiciumque de illis format.

ASSERO 2. *Non esse etiam ullum argumentum pro possibilitate talis creaturæ:* Quod enim? Immo retorqueri potest onus ostendendæ implicantiæ, sic. Non implicat contradictionem nexus essentialis inter potentiam materialem, & objectum nonnisi materiale, & cum adhuc pro opposito nempe pro impossibilitate talis potentiae stet sententia communis, illa defendi debet.

ASSERO 3. *Per locum Theologicum probari impossibilitatem potentiae materialis attractivæ spiritualium.* Ratio, quia talis potentia non posset elevari ad videndum Deum: idque ideò, quia sensus communis Ecclesiæ nonnisi spiritibus beatitudinem tribuit, cuius sensum convellere-mus, si talem elevabilitatem admitteremus. Unde etiam docet Aug. in Psal. 101. *Homo, inquit, in honore positus, factus est ad imaginem Dei, &c. accepit animam rationalem &c. propositus est rationis ipsius vivacitate omnibus bestiis, &c. quid enim horum habet intelligentiæ rationem? &c. Quod enim pecus plangit de peccato? quæ avis timet gehennam*

potentiam ignis aeterni; quia nulla est participatio beatorum. Ubi Aug. participationem hanc refert in animam rationalem. Ex altera parte talis potentia materialis attractiva spiritualium etiam ad videndum Deum. Posset elevari, quia arbitrium est ponere, ut posuit Arriaga, illam esse elevabilem ad videndum Deum, quia arbitrium est affingere, quod sit essentialiter in elevabilis, cum sit potens attingere gradum spiritualitatis: arbitrium item est dicere, quod sit determinata nonnisi ad noscenda spiritualia creata, sicut est arbitrium restringere oculum, ut possit videre nigrum non album. Et certe, ut communi sententiae obviam eatur, non sufficit solum hoc dicere, non implicat, praeputius ubi agitur de aliquo connexo, cum principis fidei, & persuasioni communi.

Ex quibus, talis implicantia Theologici loci eruitur. Quia talis potentia & non posset videre Deum, ut dictum; & posset quia immerito restringeretur, nec ejus determinatio argumenti posito convinci potest.

Addo apud Christianum Theologum plus debere estimari argumentum loci Theologici, quam argumentum procedens per principia intrinseca.

ASSERO 4. *Possibile esse, ut oculus corporeus praesens possit elevari ad producendam visionem Dei mortuo modo.* Ratio, tum quia id non implicat. Tum, quia non magis excedit oculum corporeum visio supernaturalis producenda mortuo modo, quam gratia aquam, & tamen non implicat in Sacramento Baptismi, elevari aquam, ad producendam gratiam. Tum, quia in genere causae merè efficientis, ad quidlibet potest Deus elevare quodlibet, excepta prima sui productione, actu vitali &c.

ASSERO 5. *Impossibile esse oculum corporeum praesens, posito quod sit determinatus naturaliter nonnisi ad objectum materiale, elevari ad producendam visionem Dei vitali modo.* Ratio, quia, & produceret illam vitali modo, & non produceret: produceret, ut supponitur; non produceret autem, quia non produceret ab intrinseco, quod ipsum probatur: Illud solum dicitur produci ab intrinseco, cujus vitaliter ponendi, quantumvis in ordine supernaturali, inchoata habetur potentia: quod ipsum & inductio probat, & absurdum ostendit; quia alias, omnia divinitus, vitaliter operari possent, idque & ratio adstruit: quia si ad operandum supernaturaliter ab intrinseco & vitaliter, non esset necesse habere inchoatam, ut vocant potentiam, hoc ipso illam simpliciter ab extrinseco & non ab intrinseco haberet; oculus autem corporeus praesens non habet vim inchoatam ad visionem Dei; quae inchoatio sit in posse connaturaliter intelligere, secundum scilicet speciem agendi in illo genere, nec non debeat esse inchoatio quoad ordinem; nec enim est supernaturalis; nec quoad modum

intelligendi, quia intuitiva intellectio Dei, superat vires creaturae.

DICES 1. Potest elevari ignis ad producendum dolorem in spiritibus &c. Ergo & oculus ad ponendam vitaliter visionem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia ille dolor non producit vitaliter ab igne; visio autem haec, produci debet vitaliter; non posset autem produci vitaliter, ut probatum est.

DICES 2. Nonne oculus vitaliter principiat visionem; Ergo ratione hujus praedicati elevari poterit ad visionem Dei.

RESPONDETUR. Cum illa visio sit de specie & linea intellectuali, & visio corporalis, non sit de hac specie & linea, hoc ipso visio corporalis non est vis inchoata ad elevari in hoc genere, quae inchoatio, universaliter apprehendenda est, quod semper & nonnisi ad solos actus vitales requiratur.

DICES 3. In sententia nostra potentia visiva, & intellectiva idem sunt realiter, & realiter loquendo idem utriusque objectum, cur ergo si visiva intellectiva de facto elevatur ad videndum Deum, visiva corporea non elevabitur?

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia visiva intellectiva est in entitate spiritualis, & habens inchoatam vim; quia principiat intellectionem de Deo; hoc autem de oculo & potentia corporea praesenti dici non potest, accipiendo potentiam visivam formaliter, nam in re in quantum idem est, cum intellectu elevatur. Dum Job dicit, non carne se visurum Deum, sed in carne, hoc ipso non tenet corpus elevari ad videndum Deum, & dum oculis dicit se suis conspecturum, subintellige quod dicat, se mentis oculis conspecturum.

DIFFICULTAS III.

An possibilis sit Notitia comprehensiva Dei?

AGimus hic non de vulgari comprehensio-
ne, prout supponit pro termino vitae nostrae beatae; sic enim omnes in caelo comprehensores sunt. Sed de strictè sumpta. An autem possibile sit à creaturâ strictè comprehendi Deum? Negativa est de fide, ut docet cum aliis Ruiz d. 6. de scientia Dei à sect. 2. sed hoc ipsum est demonstrativè examinandum. Demonstratio autem pendet ab explicatione: Quid sit comprehensio?

EXPLICAT 1. Recentior Suarez, & cum eo Martinon d. 8. quod scilicet comprehensio sit cognitio rei, quantum in se cognoscibilis est; tunc verò res cognoscitur, quantum ex se cognoscibilis est, quando nihil ejus later cognoscentem; hoc est, quando cognoscitur secundum omne id, quod habet vel formaliter in se ipsa, vel eminenter in sua virtute, hoc est, quando cognoscitur quoad omnes causas, effectus, proprie-

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Biblioteka
Z.
VI

proprietates &c. quæ essentiam comitantur.
Hæc explicatio

NON SATISFACIT 1. Quia inferius videmus, possibilem esse cognitionem creatam attingentem omnia in Deo, etiam quoad suos terminos &c. & tamen impossibilis est comprehensio Dei: Ergo de ratione comprehensionis, non est dicta explicatio.

Neque valet si dicas cum eodem; quod tunc non sumus comprehensuri Deitatem, quæ formaliter est Deus & omnipotentia: nam concedo quidem tunc non comprehendi Deitatem, sed infero, cum in illa notitia creata, nihil lateat ex Deitate, nec ex terminis perfectionum illius; Ergo apparet posse dari talem notitiam, & nondum esse comprehensionem.

Minus autem roboris habet, quod dicit posita illa notitia creata, qualem concedimus, non attingenda impossibilia in esse conditionato, si non repugnarent, sed non nisi sola possibilia.

Contra enim erit, si possibile est notitia attingens in Deo omnia possibilia, quæ digniora sunt, & non pauciora utpote infinita, cur non poterunt etiam illa impossibilia sub conditione, si forent possibilia, attingi? & non per notitiam comprehensivam, utpote creaturæ implicantē. Rursus impertinens est ad cognitionem Omnipotentia cognoscere illam secundum quod est virtus producendi impossibilia sub conditione si non implicarent; hæc enim virtus est fictitia in Deo, ut alibi probatur. Quod autem dicit; Ex eo potentiam creatam, quia finita est, non posse extendi ad notitiam impossibilium effectuum; id non convincit, quia etiam possibiles effectus sunt infiniti syncategorematicè, secundum quod possunt nosci in omnipotentia; & tamen illos potest noscere potentia finita creata.

NON SATISFACIT 2. Quia non explicat, quomodo debeant cognosci causæ objecti, ad hoc ut dicatur comprehendi objectum: Si enim cognosci debent comprehensivè, fiet, ut nulla creatura possit comprehendere aliam, etiam elevata. Ratio, quia nulla elevari potest ad comprehendendum Deum, qui est causa creaturæ, si autem sufficit nosci causam in confuso, & in generali, non sequitur comprehensionem debere attingere omnia, ut voluit explicatio.

NON SATISFACIT 3. Quia rationes quas huic fundamento superstruit ad probandum impossibilitatem comprehensionis non convincunt: talis est illa.

Comprehensio attingens omnia in Deo, esset æqualis intelligentiæ, & sapientiæ Divinæ. Responderi enim poterit, fore æqualem terminativè & extrinsecè, non verò entitativè & intrinsecè; & sicut ille agnoscit posse in omnipotentia videri omnes creaturas possibiles; nec tamen eo casu sequeretur notitiam creatam, fore æqualem notitiæ increatæ in illo genere; ita nec sequetur in præsentia.

Illud etiam, quod adfert, quod scilicet talis species expressa, esset infinita actu, ex eo, quia si Deus illam revelaret alicui intellectui creato, posset hic illam cognoscere in adæquatè, per æternitatem, semper nova ac nova videndo in illa, nec eam exhaustiendo. Sed hoc etiam non convincit, quia possibile est cognitio quæ intellectus creatus comprehendat continuè ex partibus proportionalibus in infinitum divisibilibus compositum, quæ cognitio esset talis, quod si Deus illam revelaret alicui intellectui creato, posset hic illam in adæquatè cognoscere per totam æternitatem; & quamvis illæ partes essent communicantes; quia tamen cognitiones de illis non essent communicantes, deberent esse infinitæ, cum tamen supponatur unico actu, comprehendendi totum illud continuum.

EXPLICAT 2. Oviedo & dicit, illam notitiam esse comprehensivam, quæ attingit omnia, quæ sunt formaliter & eminenter in objecto, eo modo quo sunt in objecto; ita ut sicut objectum est talis naturæ, ut absque ullâ mutatione physica possit habere aliquem actum; ita cognitio sit talis naturæ, ut sine ulla variatione intrinsecâ, possit esse cognitio talis actus, casu quo in objecto, sit talis actus. Et quia Deus est talis, ut invariatus possit velle & nolle, fit ut comprehensio Deum attingens, debeat esse talis naturæ, ut eadem invariata possit illa omnia cognoscere. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT, antequam formem argumentum.

SUPPONO in primis, totam variationem quæ potest esse in actibus Divinis, non esse variationem quæ sit ratione intrinsecorum Dei, sed totam esse ratione extrinsecorum.

SUPPONO item, non esse ullam contradictionem, quod omnia illa extrinseca, quin & omnia possibilia, attingantur à notitia creata, de quo infra.

SUPPONO denique. Unam eandemque cognitionem omnia illa possibilia, & omnia extrinseca actuum Divinorum attingere posse: *Quibus suppositis, sic*

FORMATUR ARGUMENTUM. Possibilis est cognitio, quæ casu quo Deus aliquid liberè velit, quod ante noluerat, sine ulla sui mutatione eadem & invariata præcognoscere possit; & tamen impossibilis est comprehensio: Ergo apparet comprehensionem non bene dicto modo explicari. Ant. quoad primam partem prob. quia supponamus, quod cognitio omnium possibilium præcesserit horâ, & post horam Deus aliquid velit, quod antea non voluerit, illa cognitio dicere potest; Ego jam hoc præcognovi, quod ipsi prob. quia illa cognitio potest de se dicere, & intrinseca & extrinseca etiam connotata, intra quæ continentur connotata hujus actus liberi, ego attingi: Ergo illa præcognovi, & quidem eadem invariata; quia possibile est una indivi-

bilis

illis notitia attingens illa omnia. Immo cum Deus sit pelagus volendi, nullamque in tempore novam potest habere volitionem, immerito recurritur ad hoc, quod comprehensio invariata deberet attingere novos actus.

DICES, cum Oviedo, explicationem hanc desumi ex S. Greg. l. 18. Moral. c. 29.

RESPONDETUR. S. Gregorium illic non plus velle, quam quod pondere circumscribamur, quod creatura simus, ne Deum comprehendamus; nihil autem de ista invariabilitate notitiae dicit. Concedimus item cum S. Th. quod comprehensio esse non possit, quando cognitum cognitionem excedit: sed hæc non excedentia in aliquo alio prædicato stat, de quo infra.

INSTABIS cum Eodem. Eo ipso quod quis manu comprehendat corpus quantum, omnia accidentia, quæ illi denuo conjunguntur, absque nova locali extensione, ex vi ejusdem comprehensionis, manu comprehenduntur. Ergo eo ipso, quod quis comprehendat aliquid intentionaliter, quæcunque illi objecto adveniant, absque diversitate physica ejus entitatis, necessario ex vi illius comprehensionis, comprehendendi debent.

RESPONDETUR. Concedendo totum, & negando, quod in hoc formaliter stet comprehensio intentionalis, de qua infra.

EXPLICATUR 3. communiter per quasdam restrictiones, & requisita.

1. Requisite est cognoscere quidquid formaliter, & eminenter continetur in objecto. Ratio, quia aliàs non cognoscetur, quantum est cognoscibile, quod tamen requirit S. Thom. hic in corpore.

CONTRA est. Quia ut jam supra dixi, non est necesse in effectu comprehendere causam, aliàs creatura superior non posset comprehendere inferiorem, quod absurdum est, sequela probatur: Quia non potest causam ejus Deum comprehendere, non etiam est necesse comprehendere in causa effectum, quia potest esse ille excedens, & v. g. supernaturalis, nec ulla est necessitas, cur non sufficiat illum attingi in confuso.

2. Requisite est. Cognoscere objectum cum tanta intensione, quantam de se postulat objectum.

CONTRA est. Quia nullum est fundamentum, quo asseratur, objecta determinare sibi essentialiter certam intensiorem; pone enim v. g. Angelum A determinare sibi intensiorem notitiam ut 5, pone Angelum superiorem elicere de illo cognitionem intensam ut 8. si ad hanc intensiorem non ab objecto determinatur, sed à sua applicatione, cur universaliter dici non poterit, eam determinationem, spectare ad applicationem potentiae? Rursus, pone Angelum superiorem determinare sibi notitiam ut 6, cur

non poterit inferior Angelus, secundum speciem propriam, quam habet de illo, intendere & reintendere suam notitiam, ut veniat ad illam intensiorem? & tamen Angelus inferior, non potest comprehendere superiorem.

DICES 1. Cum Amico. Comprehensio est cognitio adæquans totam cognoscibilitatem objecti, quæ determinat sibi non solum notitiam simpliciter, sed etiam certum gradum claritatis, & intensiorem: & objectum non solum est adæquabile extensive, sed etiam intensive; Ergo objectum etiam illam intensivam perfectionem cognitionis exigit.

RESPONDETUR. Objectum esse adæquabile etiam intensive, sed tanquam per aliquid accidentale, & non per se requisitum. Unde objectum determinat etiam sibi intensiorem tanquam aliquid accidentale. Et certe illa exigentia intensiorem in claritate oritur in comprehensiva in quantum includit intuitivam: Si enim intuitiva non esset, nec claritatem, nec claritatis intensiorem deposeret: Ergo cum intuitiva non determinet sibi certum gradum intensiorem, nec comprehensiva determinabit.

DICES 2. cum Eodem. Ita se habet claritas in actu cognitionis, sicut fervor in actu amoris; jam autem objectum determinat sibi certam intensiorem amoris; Ergo & determinabit certam intensiorem claritatis.

RESPONDETUR. Quod certum fervorem determinet sibi objectum, non tanquam aliquid essentielle, sed tanquam aliquid accidentale, & non necessario requisitum.

DICES 3. cum Eodem. Si ad comprehensionem non requireretur certa intensio, Deus qui se intensissime cognoscit, supercomprehenderet seipsum.

RESPONDETUR inquirendo; An Deus supervideat seipsum cum se intensissime videat? Directe autem

RESPONDETUR. Quia se Deus intensissime comprehendit, hoc non exinde procedit, quod comprehensio ex differentiali sua ratione determinet sibi certam intensiorem claritatis, idque non tanquam aliquid accidentale, sed exinde, quia quidquid Deus ad intrinsecum facit, necessario facit, si necessario facit, quantum potest facit, si quantum potest facit, intensius si potest facit, adeoque facit intensissime.

Deciditur Difficultas.

Commodè sic explicari potest comprehensio, quod sit notitia attingens objectum, & cognoscens, ut inquit S. Thom. *quantum cognoscibile est*: tunc autem attingitur quantum cognoscibile est, quando attingitur notitia intuitiva saltem ita perfectà, hoc est à principio & que perfectò perfectà, quam est perfectum ipsum objectum cognoscibile: hoc ulterius, sic

EXPLANATUR in præsentimateria; Possibile est, ut Deitas dicat eam excellentiam cognoscibi-

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Bm. de Z.
VI

scibilitatis, secundum quam à nemine attingi possit, nisi à solo Deo; quæ enim in hoc implicantiæ? quod si possibilis est cognoscibilitas aliqua Dei, secundum quam à nullâ creatura attingi possit, talis cognoscibilitas de facto jam in Deo dabitur; nam cum Deus sit Ens necessarium, & includens quicquid possibile est ut includat, fit, ut si sit possibilis talis cognoscibilitas, secundum quam non possit cognosci, nisi à seipso, de facto talis cognoscibilitas dabitur in Deo.

Cum autem hæc cognoscibilitas non sit abstractiva, quia nos abstractivè Deum cognoscimus, nec illum comprehendimus, & Deus se abstractivè non cognoscit, comprehendit tamen: fit ut illa cognoscibilitas, de quâ hic, non sit abstractiva.

Non etiam illa cognoscibilitas est mera attingentia vel attingibilitas per intuitivam notitiam, quia ad hanc elevari possumus, non possumus autem elevari ad comprehensionem; restat ut illa notitia & noscibilitas, quæ petat attingi non nisi à principio, æque perfectio atque est objectum, quod est Deus, fit inquam, ut illa noscibilitas formaliter comprehensionem.

RATIO explicationis est. Quia quoties SS. PP. meminerunt comprehensionis, toties recurrerunt ad excellentiam Deitatis, & de pressam lineam nostræ noscivitatis. Talis est Cyrillus I. I. in Joan. c. 22. *Soli enim consubstantiali filio Pater visibilis est, & nulli præter eum, visionem autem in his Deo convenientem semper intelligas.* Ubi agnoscit Cyrillus cognoscibilitatem soli Deo convenientem, quæ cum non sit merè intuitiva, debet esse comprehensiva. S. Greg. supra cit. referens causam cur Deus sit incomprehensibilis; refert id in Circumscriptionem, quæ inde oritur quod creatura sumus. Idem 10. Moral. c. 11. loquendo de Incomprehensibilitate Dei. *Habet inquit, sublimitatem quâ ipsorum quoque intelligentiam, qui in supernam recepti fuerint congregationem, transcendit.* Cyrillus Jerof. Catech. 6. Cur Deus comprehendi non possit? rationem dat; quia nemo Deum pro dignitate noscere potest: En impossibilitas comprehensionis refertur in defectum notitiæ, æque dignæ ac est noscibile. *Vident inquit, Angeli sed non capiunt, Throni & Dominationes plusquam illi, sed minus tamen quam pro Dei dignitate.* S. Thom. supra q. 8. a. 2. in corpore: *Tunc cognitionem dicit deficere à comprehensione Dei quando, inquit, cognitum cognitionem excedit.* Et inferius, *quando id quod intelligitur habet modum intelligendi perfectiorem, quam sit modus quo intellectus intelligit.* Et hic ita discurrit: *illud comprehenditur quod perfectè cognoscitur; perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile.* Similia habet eadem quæst. a. 8. de verit. q. 8. a. 2. ut citat Arriaga. *Respondeo inquit, Dicendum quod illud propriè comprehenditur, quod ab eo includitur; quod autem includitur,*

ab alio est minus, vel æquale includenti in perfectione substantiali. Et in 4. d. 9. a. 3. ad 4. *Quando aliquis se cognoscit, idem est modus cognoscens & cogniti, & ideo se comprehendit.* Et ibid. d. 49. q. 2. a. 3. in corpore. *Et ideo tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendere, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitivæ, & non excedit ipsum.*

DICES I. cum Aug. quod res tunc comprehendatur, quando noscitur, quantum noscibilis est, & quando in ea nihil latet videntem; ita ut fines ejus circumspici possint.

RESPONDETUR. Istud ly nihil lateat videntem. Item, ly cuius fines circumspici possunt, sunt formalitates non comprehensionis, quæ comprehensio est, sed intuitivæ ad æquatæ; tota autem formalitas comprehensionis stat in illo noscere, quantum nosci potest: hoc est noscere notitiæ æque perfectæ, atque nosci potest. Sed

INSTAT Martinon d. 8. n. 36. Comprehensionis natura deducenda est ex analogiâ ad corporalem & localem comprehensionem; jam autem dicitur corpus aliquod comprehendere quod ad æquatè includitur, ita nimirum ut nihil illius sit extra.

RESPONDETUR. Etiam per nos attendi ad analogiam comprehensionis materialis, in quâ non potest esse comprehendens, minus comprehenso; quæ minoritas non debet esse in intentionalibus ratione quantitatis, sed ratione entitativæ æqualitatis.

Absolutè etiam doctrina illa Martinon, non satisfacit; quia quod ad comprehensionem corporalem sufficiat illa inclusio, id inde proficiscitur, quia nulla alia potest inveniri tenentia objecti corporalis, quæ hoc ipso non sit comprehensio, vel in parte, vel in toto; potest autem in intentionalibus inveniri tenentia intra se objecti, ut sit in omni notitiâ; & tamen non esse comprehensio, vel partialis, vel totalis. Illud etiam quod adfert, impertinens esse ad comprehensionem corporalem, ut vas comprehendens liquorem, æque sit perfectum, parumque interest, si sit stanneum, si vitreum: non convincit, nam non debet esse proportio in omnibus; idque ex eo, quia quæcunque tenentia objecti materialis est vel totaliter, vel in parte comprehensio; non autem quæcunque tenentia intentionalis, ut dixi, est comprehensio: & ad servandam utriusque comprehensionis proportionem, sufficit hoc haberi, quod comprehendens non debeat esse minus comprehenso. Quod autem requiratur æqualitas perfectionis, hoc jam petitur ex PP. citatis.

DICES 2. Ex hac explicatione sequetur etiam ab homine, Angelum comprehendere non posse; non enim potest elevari ad perfectionem æqualem Angelo.

RESPONDETUR. Posse adhuc comprehendere

Punctum Difficul-
tatis 1.*Solvuntur Implicantia contra Possibilitatem
speciei impressæ.*

Possibilitatem speciei impressæ agnoscunt non pauci Scotistæ. Ex Nostreis Suar. Vas. Mol. Vale. Arriaga. Martinon. Alii impossibilem censent: Ita schola Thomistarum. Ex Nostreis Arrubal, Granado, Tannerus, Josephus, Augustinus. Quiros d. 25. a. num. 13.

I. IMPLICANTIA est ordinaria Thomist. quam etiam urget Josephus Aug. q. 13. a. 2. num. 26. Per speciem inferioris ordinis, & inferioris materialitatis, non potest cognosci quidditative Ens superioris ordinis, immaterialitatis &c. Sed quæcunque possibilis species impressa, est inferioris ordinis, & materialitatis, cum ex eo ipso quod creata sit, hoc ipso determinetur, ne sit actus purus: Ergo.

RESPONDETUR. In primis argumento multum probari, probaret enim, quod nulla sit possibilis species impressa substantiæ; quia quæcunque detur, erit accidens, adeoque inferioris ordinis præ objecto quod est substantia, tituloque ipso accidentis importabit dependentiam à subjecto, dependentia autem à subjecto, materialitatem importat.

Neque dicas disparitatem in hoc esse, quia illa species etiam si sit accidens, tamen est in eadem abstractione, & gradu intelligibilitatis, in quo est ipsa substantia Angeli; non inquam valet, si id dicas, quia dicam speciem impressam, esse etiam in eodem gradu non Entis, sed participando ex gradu repræsentativi secundum vicariam rationem, cujus tu impossibilitatem non ostendis.

Sed insuper retorqueri potest sic argumentum: quia intellectus prout elevatus licet in ratione Entis, & illius gradus materialitatis, sit inferior Deo, nihilominus ratione elevationis acquirit vires attingendi superiorem immaterialitatem, cur idem non poterit concedi speciei impressæ?

Directè autem ad Objectionem dici potest, quod species inferioris ordinis quoad entitatem, ejusdem tamen ordinis quoad vim vicariam repræsentandi, possit cognosci Ens superius.

INSTAT Josephus Augustinus, quod videatur hæc distinctio esse nugatoria; quia facit hunc sensum, quod per speciem quæ repræsentat rem superioris ordinis, repræsentetur res superioris ordinis.

RESPONDETUR. Neg. Assumptum; Ratio, quia in nostris principiis habetur hic sensus, potest res inferioris ordinis in entitate, habere vim repræsentandi rem superioris ordinis, adeoque illam repræsentare, qui sensus non est nugatorius;

lendi Angelum, non quidem naturaliter ab homine, sed ab illo ut elevato; quia scilicet Deus potest concurrere cum illo, ut tam perfectam cognitionem eliciat, quam elicit ipse Angelus de se, vel Angelus perfectior de illo; potest enim crescere per elevationem ad illam usque dignitatem; non potest autem crescere per elevationem ad eam dignitatem, quam habet notitia Dei de Deo. Et quamvis non possit Deus elevare hominem ad tam insignem notitiam de Angelo, quam nobilem de illo habet Deus ipse, id non obstat; quia tanta dignitas illius notitiæ proficitur non ex meritis objecti, ad quæ hic attenditur.

DICES, cum recentiori Suarez. Visio beata potest haberi, licet intellectus videntis, non sit æqualis objecto, sed tantum ut Deus elevans, sit æqualis. Ergo etiam & comprehensio ut detur, non erit necesse intellectum elevatum esse æqualem objecto, sed sufficiet, æqualitas in Deo elevante.

RESPONDETUR. Stando in principio; quia esset absurdum, si in visione requireretur æqualitas videntis cum viso: sequeretur enim esse in elevabilem creaturam ad videndum Deum, quod est contra fidem; nullum autem est absurdum, si dicatur esse in elevabilem ad comprehensionem, immo hoc est secundum fidem.

DICENDUM est. *Quid implicet à creaturâ comprehendendi Deum:* Ratio, quia & comprehenderet illum, ut supponitur; & non comprehenderet; quia non eliceret cognitionem perfectam à principio, æque perfectæ, atque est Deus: hæc autem non nisi cognitio est comprehensio, ut dictum est.

QVÆSTIO II.

De Principiis visionis.

Triplex est visionis principium; quoddam tenens se ex parte objecti, & hoc est species impressa, si detur: aliud ex parte potentia, hoc est lumen gloriæ; denique ipsa potentia. *Sic*

DIFFICULTAS I.

De Principio visionis, quod est species impressa.

Nomine speciei impressæ, venit qualitas loco objecti concurrens. Hæc qualitas vocatur similitudo objecti, non formalis, quia hæc habetur à specie expressa, sed vocatur similitudo causalis: quia scilicet cum potentia quam complet, principiat speciem expressam, quæ est similitudo formalis objecti. De his in animæ principis. In præsentibus duo inquirenda; primo: An sit possibilis hæc species respectu Dei? secundo: An detur de facto?

gatorius; sicut nec est nugatorius, si dicam intellectum in ratione Entis inferiorem, habere vim si elevetur, ad intelligendum res, superioris ordinis. Et sicut non est nugatoria propositio, dicere; quod hoc vel illud habeat vim causandi gratiam, eamque causet, nec est hæc propositio identica; sic nec erit identica allata distinctio.

Quando autem urget, hoc ipso illam speciem producturam comprehensivam Dei notitiam, id jam supra refutatum est.

Si autem queratur: An illa species naturaliter, an supernaturaliter sit productura visionem? ad hoc dici potest, supposita sua entitate supernaturali connaturaliter causare visionem, Deo simul concurrente effectivè, & insuper per modum terminativi & objecti, sicut enim movente serâ fabro, non cessat actio fabri ita & causante specie, non cessabit concursus Divinus.

2. IMPLICANTIA est, quâ utitur Quiros, repugnat entitas creata, quæ ita concurrat ad visionem, ut ex vi illius persistere valeat visio, etiam Deo objectivè non concurrente; Ergo repugnat species impressa, quia ejus nomine venit principium dicto modo concurrans ad visionem: hinc species dicitur imago, & ipsum objectum intentionaliter. Ant. probatur, Repugnat creaturam rationalem perfectè beari alio bono, quàm infinito, & ut aliud sufficiat ad eandem, præter realem præsentiam Dei ut objecti. Unde etiam beatitudo nostra imbibit aliquid increatum. Sed si possibilis esset qualitas creata, per se sufficiens supplere concursum objectivum ad visionem, staret per se loquendo nostra beatitudo sine Deo, ut objecto. Quod ipsum probatur, visio per se non pendet ab objecto præsentia, ubi datur species, seu qualitas vicaria; nam tunc objectum solum habet munus terminandi, hoc autem nihil confert visioni ipsi: & hinc quia creaturæ sunt purus terminus, respectu scientiæ Dei, Deus eadem claritate eas inruetur, etiamsi realiter non existant. Et dum manet species in potentia visivâ, manet & visio; licet objectum visibile pereat; ad eum modum, quo manet auditio transactò sono.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam: Ratio negandi est, posita specie impressa, Deus, qui est objectum visibile, non concurreret tunc objectivè se solo, hoc est per exclusionem cujusvis alius principii, unâ cum intellectu concurrentis, ad principiandam notitiam de illo, concurreret tamen etiam se solo duplici sensu.

In primis quia nunquam Deus etiam dum concurrat medio aliquo instrumento, spoliatur se actuali suo concursu, nec ita se habet sicut objectum creatum, quod aliquando potest carere effectivo concursu.

Deinde hoc etiam sensu seipso concurreret, per modum motivi & terminativi, quo concur-

sus in visione beata, non potest se spoliare Deus, propter rationem in objectione allatam.

Probationi Consequentiam concedo quod species sit principium ita concurrans in visionem, ut præstet concursum, qui necessarius est titulo objecti, non per exclusionem objecti ut dixi, sed per positionem etiam alicujus creati, quo vellet simul secum uti objectum increatum, ad ponendam sui visionem, & hoc sufficeret ut dicatur illa species intentionaliter objectum.

Quod si ad notitiam etiam intuitivam non concurrat objectum aliter præterquam terminativè, cum ipsum etiam arguentis intentum admittat posita specie impressa, quod terminativè sit concursus objectum, hoc ipso admittit etiam posita specie impressa, nullam variationem fieri in concursu objecti.

Quod attinet ad alia, quæ tangit hæc obiectio, dici potest; quod si species illa haberet vim excludendi concursum objecti, ita ut ne per modum termini in illa visione imbibatur, haberetque vim supplendi in hoc genere etiam concursum increatum, quia increatus est, tunc illa species, se sola, haberet vim beandi; sed hoc negamus illi speciei.

Quod autem attinet ad illam proportionem, visio per se non pendet ab objecto præsentia, illa verificari potest, de objecto creato; sed non de objecto increato; quia unum creatum, saltem elevatum, potest supplere vim alius creati, nisi interveniat vitalitas; sed quia nullum creatum, potest elevari ad hoc, ut habeat vim supplendi aliquid increatum, per exclusionem ipsiusmet increati, fit, ut non possit excludi præsentia objecti increati in beando nos, possit autem excludi præsentia objecti creati in videndo idem: per quod etiam responderetur ad illam Instantiam de scientiâ Dei. Deinde dici potest, visionem duplicem posse cogitari: quandam experimentalem, claram notitiam objecti. Secundo potest intelligi notitiâ germana objecti, & non per species alienas, ut communiter loquuntur Auctores: primo modo sumpta visio, indiget præsentia objecti etiam in creatis; ita quando video hortum, vel florem repræsentatum in speculo prægrandi, habeo illius floris germanam visionem, non per alienas species; idemque fieret si Paulus eleveretur, ad videndam intuitivè visionem Dei, quam elicit S. Petrus. Sed tunc nec plena beatitudo, nec plena visio horti, vel floris habetur, sed quando me directè converto ad ipsam rosam, vel hortum, experimentaliter habeo longè majorem possessionem intentionalem horti, floris &c. sic etiam in præsentia. Et quia visio Dei debet esse experimentalis, ut ita dicam, illius tenentia, fit ut objectum semper ad illam concurrere insupplebiliter debeat.

INSTAT Quiros. Non minùs bonitatis Divinæ proprium est, ut beatificet tanquam objectum,

estum, ac est perfectionis Divinae, quod ab ipso a principio universali omnia pendent; sed implicat communicari alicui creaturae virtuti principiandi, ita universalem; Ergo & beatificandi.

RESPONDETUR. Concedendo totum; diximus enim solā experimentali objecti possessione beari creaturam rationalem, quā non potest haberi, a solā specie impressa.

Deinde solvendum restaret argumentum proponenti, quomodo cum Deus non possit se ipsi ne concurrat tanquam principium universale, nihilominus det luminī gloriā, vim concurrēdi, quam alias ipse supplere posset.

Quod autem dicit inferius Quiros, non minus nos delectari videndo colores apparentes in specie, quam si veri essent, hoc in presenti paritatem non habet, imprimis quia revolvens se in intellectus potest dicere: Fallor in delectatione, quasi de colore: de facto enim non sunt hic colores; non potest autem in beatitudine revolvere se dicere: Non est hæc delectatio de vero objecto. Deinde in creatis potest suppleri delectus aliunde, non potest circa objectum in creatum. Hos ipsos medios terminos aliter proponit Quiros, sed ex dictis solvi possunt.

Punctum Difficul-

tatis 2.

Continuatio Difficultatis.

IMPLICANTIA est, cujus etiam meminerunt impressi, & Nos trates sic eam formant. Impossibilis est species impressa cujus impossibilis est effectus, ad quem essentialiter & ex natura sua ordinatur; nihil enim in ordine causæ, concipi potest causativum, cujus causabile, est impossibile; sed speciei impressæ Dei, effectus est impossibilis, quod probatur; Effectus, ad quem ex vi sui esse, & essentia, essentialiter ordinatur quacunque species impressa, est facere objectum proportionatum in ratione immaterialitatis potentia cognoscitivæ, cui per suam materialitatem, proportionatum non est, vel saltem facere illud unitum potentia cognoscitivæ, in esse intelligibilis, hoc est unitum tanquam cognoscibile cum cognoscitivo; his duobus sublati, nulla foret necessitas specierum, propter quos duos fines a natura providentur, vocanturque vicaria instrumenta, semen objectorum & similia. Sed hos duos effectus impossibile est præstari a specie impressa Dei, cum cum Deus in entitate sit spiritualis & immaterialis, & essentialiter indistans ab intellectu, quomodo per speciem reddetur indistans & immaterialis?

RESPONDETUR 1. Neg. Minorem cum sua probatione, contra quam est in primis hæc instantia, quia non est major indistantia Angeli a

seipso, quam Dei ab intellectu, immo illa prior est major, quia est indistantia per identificationem. Idem Angelus ad se comparatus non est sibi materialis, & tamen hoc non obstante, potest illi divinitus infundi species ejusdem impressa, vel quam de illo habet alter Angelus, transferri; quæ enim in hoc implicantia? Ergo apparet quod non sit de ratione speciei impressæ, facere indistans, aut proportionatum objectum; sed id convenit speciei ad maximum conditionatè, si forte indigeat tali adjumento objectum, vel si sit objectum impedibile.

Addunt alii, quod in diverso genere proportionandum sit objectum per illam speciem, sicut in diverso genere unitur humanitas Christi D. Verbo per sanctitatem personæ, & in alio per sanctitatem gratiæ. Item aliter unitur sibi Gabriel in ratione noscibilis, & aliter dum seipsum in essentia Dei, beatificè noscit. Porro, hæc diversitas proportionandi in eo stabit, quia per speciem non nisi supererogatoriè proportionaretur, hoc est ex libera adlubitione Divina. Rursus, quia proportio per meram speciem, non sufficeret ad experimentalem Dei notitiam.

RESPONDETUR 2. Concedendo Deum esse essentialiter indistantem & immaterialem, negando tamen essentialiter hoc esse Deo, ut non nisi se solo concurrat, ad noscendum se, assumendo illud non ex indigentia, sed ex libertate. Et sicut necessarium est Deo habere vim creandi, nihilominus liberum illi est, vim hanc creandi vel immediate per se, vel assumpto etiam alio tanquam instrumento creandi exercere; ita & in presenti.

RESPONDETUR 3. Distinguenda hæc esse, quod distantia objectorum, eorumque materialitatis fuerit fundamentum adstruendarum specierum, sed negatur essentiam illarum stare in redditione indistantis, vel immaterialis objecti; quod enim hujus fundamentum?

INSTARI solet præcipue contra supra additum. Impossibile est & absurdum, ut aliquid habens de se quidpiam, idque necessariò & essentialiter, & tamen hoc ipsum habere possit per superadditum; actum enim tunc ageretur. Et sicut implicat Deum reddi sapientem vel potentem, per aliquid superadditum, maleque distinguemus sapientiam & potentiam intrinsicam & extrinsecam; ita & in presenti non potest dici, quod Deus v.g. intrinsicè indistans, reddatur extrinsicè indistans. Item, quantitas non potest reddi quanta per aliquid extrinsecum, nec unita unio, ita & in presenti.

RESPONDETUR. Concedimus quod eo casu, non reddatur Deus indistans & immaterialis in se, sed tantum dicimus assumi a Deo medium, ad producendam notitiam intuitivam creatam, quod potuisset non assumere; neque essentialiter esse Deo hanc inassumibilitatem,

Q²

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Bim. de Z.

tem, ipsum autem assumptum, longè alio modo concurreret, quàm concurrat Deus, adeoque longè aliter proportionaret.

Instantiæ allatæ non convincunt, quia aliquæ procedunt de perfectione vitali, qualis est sapientia, quæ non potest haberi ab aliquo non vitali; hoc autem quod est Deum producere cum intellectu sui visionem, non est aliquid vitale; unde poterit ad illud Deus assumere aliquid extrinsecum.

Rursus, si Deus redderetur potens per aliquid extrinsecum, hoc ipso non esset Deus, quia nec intrinsecè omnipotens, quod non sequetur, si Deus adhibeat aliquid tanquam instrumentum, quod posset non adhibere.

Ad quantitatem & unionem quod attinet? disparitas est, quia sicut effectus formalis à nullo potest haberi, vel suppleri, quàm à formâ, sic nec ratio formæ ab alio potest haberi, vel suppleri, consequenter nec quantitas aliâ quantitate quantifari, nec unio uniri potest: quod etiam fieret, si indistantia Divina per aliud indistaret &c. Quia verò hoc, quod est assumi aliquid creatum à Deo in genere efficientis, ut simul comproducat notitiam de Deo, non est velle formare formam jam formatam, fit ut hoc sine absurdo concedi possit.

Neque valet si dicas. Illam qualitatem à nobis admissam non plùs habituram, quàm si de facto assumeret Deus lignum ad comproducendam visionem, non inquam valet; quia cum illa qualitas possit esse accidens spirituale, & ex natura sua ordinatum adhibitumque ab objecto, ut unâ cum intellectu possit comproducere determinatam notitiam, hoc ipso habebit vim speciei.

4. IMPLICANTIA est Aldrete Disp. 64. de Incarn. S. 4. Deus per modum objecti concurrens, fundat dominium immediatè destruendi visionem, per cessationem sui concursus: at id verum non esset, si posset concurrere non immediatè per seipsum, sed per sui speciem: Ergo impossibilis est species impressa. Major prob. quæ sola, inquit, eget probatione. Non est minus essentialis Deo concursus, quem habet per modum finis ultimi possessi, quàm ille, quem præstat per modum causæ universalis, seu principii omnium rerum: sed quia est principium omnis creaturæ, fundat potestatem immediatam essentialem suspendendi concursum immediatū in effectum, cum potestate destruendi immediatè effectum, per cessationem concursus: Ergo quia concurrens per modum objecti & finis ultimi possessi, in possessionem illam, fundat in vi sui influxus, dominium, cum potestate destruendi immediatè visionem illam.

RESPONDETUR. Argumentum multum probat: quia probat, ne quidem dari Lumen gloriæ, ut immediatius possit Deus destruere visionem. Probat item, quod nec objecta crea-

ta (quæ ceteroqui suppono, posse divinitus attingi sine specie impressa,) noscantur per species impressas, ut ita immediatius possit Deus destruere illas notitias: suadebiturque impossibilitas specierum impressarum, circa objecta creata; quia essent destructivæ domini divini.

Deinde Argumentum assumit aliqua, quæ à tenentibus possibilitatem speciei impressæ ad videndum Deum, non docentur: posita enim possibilitate hujus speciei, terminativè æque Deus immediatè concurrens ad visionem ac sine specie; nec est inventa ejus possibilitas ad exclusionem terminativitatis Divinæ; cum etiam positis speciebus impressis circa objecta creata, adhuc illa objecta terminativè immediatè concurrant; hinc visione oculari, non species impressæ videntur, sed objectum ab illis speciebus præsentatum. Quod si adhuc per nos immediatè terminativè concurrens tunc Deus, hoc ipso debemus censeri, quod Deus possit per nos immediatè destruere visionem.

Rursus, cum per nos ad visionem beatam concurrente specie impressa Dei, adhuc ad illam speciem necessarius sit concursus Dei, quem offerre, vel non offerre est in potestate Dei, hoc ipso potest Deus adhuc in nostris principiis immediatè destruere visionem. Hinc jam in forma negatur Minor, quæ non est probata.

5. IMPLICANTIA Eiusdem. Ideò nequit suppleri concursus Dei per modum causæ universalis; quia effectus postulat determinatè Deum, ut causam maximè proportionatam, ad immediatè concurrendum, & tanquam principium, in quo solo, potest contineri effectus adæquatè, licet quandoque effectus non tam ob perfectionem suam, quàm ob specialem aliquam alligationem, seu imperfectionem non possit produci à solo Deo immediatè; siquidem effectus alter multò excellentior à solo Deo produci potest. Sed similiter visio beatifica, petit Deum per modum causæ objectivæ maximè proportionatæ; igitur nequit per aliam causam concurrentem nomine objecti, suppleri concursus ille.

RESPONDETUR. Major quidem est vera quoad insupplebilitatem concursus Divini, sed causa non videtur convictiva esse; causa enim æquivoca non est causa maximè proportionata; Deus autem est causa æquivoca. Rursus, quàm simillima, maximè sunt proportionata, & indubiè particulari magis est proportionatum particulare, quàm universale; omnis autem effectus est particularis, & Deus est causa universalis.

Hoc etiam non videtur convincere, quod effectus non nisi ob suam imperfectionem non possit à Deo produci: cum id potius rejici debeat in conditionem, & exigentiam illius: sicut quamvis Deus possit facere quodlibet, quod tamen

men non possit facere ut homo sit Leo, non est hoc ex imperfectione effectus, sed ex eius existentia: videturque quamvis Deus seipso non possit producere actum vitalem, non esse hoc imperfectio, sed potius exigentia vitalitatis.

Nec refert, quod Deus multo excellentiores effectus se solo producat: neque enim exinde proportio causæ ad effectum (quæ hic intimatur) colligitur: homo enim generat hominem, quæ excellentior effectus est, & non generat Leonem. Sed quidquid sit de Majori.

Minor distingui potest. Quod visio beata petat Deum idque indispensabiliter per modum causæ objectivæ præcisè, adeoque terminativè, se habentis; non tamen per modum causæ objectivæ completis se solo, aut se solo, ut alii volunt, determinantis, efficientisque visionem. Unde etiam concursus ille terminativus, suppleri non potest.

INSTAT. Principium non indigens altero comprincipio ad agendum, necessariò est infinitum, quod nullo alio indiget ad sui perfectionem: modus enim agendi absque indigentia alterius comprincipii, arguit modum essendi, non indigentem quovis alio, ad plenam sui perfectionem.

Unde etiam inferebat, nullam creaturam etiam ut instrumentum creare posse: quia modus perfectissimus operandi, nequit provenire, nisi à principio habente perfectissimum modum existendi: Creatio autem ex genere suo non indiget adjutorio alterius comprincipii. Inferebat item, quod si gratia habitualis connaturaliter proveniat à solo Deo, etiam per potentiam obedientialem produci non poterit: quia nulla causa creata potest supplere concursum, quem Deus determinatè præstare tenetur: nulla enim causa creata continet virtutem Divinam, quæ Divina est; & ab illis effectibus exigitur determinatè virtus Divina, quæ Divina. Ergo nec id habebit species impressa Dei.

RESPONDETUR. Concedo virtutem non indigentem alio comprincipio fore infinitam: quia jam esset sibi prima causa, adeoque quid infinitum.

Sed inde non sequitur, creaturam assumi non posse ad creandum: modus enim perfectissimus operandi, sed per elevationem potentioris, non arguit perfectissimum modum essendi elevati, sed elevantis.

Quamvis autem gratia habitualis à solo Deo principaliter in genere causæ efficientis producat; non implicat tamen ne à solo sed etiam à causa instrumentali elevata producat. Sed si esset essentielle Deo ne quidem instrumentum adhibere, non posset jam creatura ad hoc assu-
ni. Sed non est fundamentum id dicendi.

Unde causa instrumentalis non continebit virtutem Divinam quæ Divina, sed elevabitur, non divino concursu in suo genere concur-

rat, ad hoc, quod Deus se solo facere potest, si velit.

Directè responderi potest, concursus terminativus est concursus ad visionem, quem Deus se solo præstare tenetur: sed non concursus completis, determinantis, coëfficientis, idque non ex indigentia objecti, sed ex libertate, quæ utitur ad assumendum instrumentum. Et sicut non excludit Deus coëfficientiam intellectus, ita nec excludit si velit coëfficientiam, completionem &c. speciei.

6. IMPLICANTIA ejusdem. Supponit quod quamvis per impossibile non influeret Deus in visionem beatam, per modum causæ universalis, adhuc posset efficere vel non efficere visionem. Supponit 2. Casu quo Deus non per se ipsum, sed per speciem sui concurreret per modum objecti, non fore concursum objectivum, quæ talis est, liberum. Ratio, quoniam species impressa Dei, posito concursu causæ universalis quæ talis est, necessariò concurreret, ad visionem Dei. Ergo Deus per modum objecti, non posset non influere in visionem. Illustratur Instantiâ. Fingatur possibilis qualitas supplementiva concursus Dei ut causæ universalis ad producendum v. g. ignem A. sit alius ignis causativus illius ignis A, passumque habeat applicatum & dispositum, insuper, qualitatem supplementem munus causæ universalis quoad concursum: tunc quæro, potestne non produci ignis A? Respondebis, non posse non produci: quia Deus non poterat negare concursum, posita illâ qualitate, quæ erat concursus Dei in actu primo ex parte Dei. Ergo similiter posita specie impressâ, & concursu causæ universalis ad hanc visionem, non posset Deus suspendere concursum suum per modum objecti: nam concursus & applicatio per modum objecti, est ipsa species, denominareturque concursus ille liber, non nisi quatenus Deus posset producere illam speciem: *Quo supposito*

Formatur Implicantia. Posita illâ specie non posset Deus quæ objectum est, impedire visionem, sed ad summum posset speciei negare concursum causæ universalis: atqui Deo competit posita quavis causâ creatâ posse, quæ objectum est, suspendere visionem. Ergo repugnat species impressa.

RESPONDETUR. Non posita etiam specie impressâ, sed posito lumine gloriæ, & posito concursu universali, vel potest Deus suspendere ne sit visio, ne concurrat ad visionem, vel non potest suspendere? Si potest suspendere, quomodo jam erit concursus ad visionem? dicamque ergo, etiam: Potest suspendere, ne sit visio, etiam posita specie impressâ, cum posita specie impressâ in nostris & Angelicis intellectibus, si potest suspendere Deus, ne sit notitia illorum objectorum, cur non poterit suspendere, ne sit notitia sui? Si autem posito lumine gloriæ & concursu

curfu universali, non potest Deus facere nisi visio, liber non erit in hoc, ut videatur. Directè autem dici potest posita specie impressa Dei, adhuc posse Deum suspendere visionem: quia species illa non datur, nec debet dari, per exclusionem concursus Divini; Sed quod Deus se solo nolit concurrere ad producendam illam visionem, vel complendam potentiam. Jam autem quia illa qualitas suppletiva concursus causæ primæ, esset ad exclusionem concursus Divini; ideo non posset jam Deus suspendere suum concursum, nisi per ablationem illius qualitatis.

INSTAT. Repugnat qualitas suppletiva concursus causæ primæ. Ergo repugnabit & species impressa.

RESPONDETUR. Repugnare speciem impressam exclusivam specialis concursus Divini, sed non speciem unā cum Deo concurrentem, complementem, &c. in priorique sequeretur independentia creaturæ in agendo, adeoque in linea agere, a seitas quædam; hoc autem ex hoc posteriori non sequitur. *His expensis*

Decernitur de Difficultate.

DICENDUM est; *Quod non implicet species impressa.* Ratio, quia nulla implicentia ostendi potest. Sed daturne de facto? Aliqui ex istis, qui docent possibilem, negant illam de facto, ut Suar. Moli. contra Vasq. Hurt. & Esparza. *Contra quos*

DICENDUM est cum Suares. Probat, quia nulla est necessitas & nullum fundamentum in script. vel PP. quod ostendat usurpare Deum istud instrumentum, saltemque hoc sensu accipietur S. Thomas qui dicit, illam esse impossibilem, supple de lege ordinaria: quia ea dicuntur impossibilia de lege ordinaria, quorum nulla est in rebus naturalibus exigentia; nulla est autem talis exigentia speciei.

DICES 1. Esse illam necessariam ad connaturalius habendam visionem.

RESPONDETUR. Sufficere connaturalitatem petibilem à lumine gloriæ, & connaturalitas debet esse ex parte potentiæ, non verò ex parte objecti; connaturalius enim est ut objecto, & suo fini, immediatè se uniat Intellectus.

DICES 2. Datur species expressa de facto, ergo dabitur & impressa.

RESPONDETUR. Neg. Conf. quia si non ponatur expressa, hoc ipso non erit visio, ut infra dicitur; erit autem, etiam non posita specie impressa.

DICES 3. Ergo Deus ad visionem necessarius concurret; quia per suam naturam.

RESPONDERI potest; Illum concursum fore ex suppositione necessarium, supposito scilicet, quod velit Deus beare, cum absolute posset non beare. Dicunt alii, quod essentia con-

currat ad visionem, non quā naturā est, sed quā omnipotentia; Ita ut ipsa visio, sit effectus omnipotentia.

DICES 4. Ex Quibus, voluntas nullā presentia reali objecti est contenta, nisi adit intentionaliter ipsum objectum per cognitionem; Ergo neque intellectus contentus erit reali presentia objecti, nisi adit intentionaliter per speciem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nisi voluntati adit objectum per cognitionem, hoc ipso deberet ferri voluntas in incognitum, quod absurdum est; in consequenti autem nullum est absurdum, præcipue cum seipso possit præstare objectum, quod præstaret species.

DICES 5. Objectum materiale etiam præsens, ut proportionetur intellectui Angeli indiget specie; Ergo etiam summa immaterialitas Dei, ut proportionetur intellectui, indigebit specie impressa.

RESPONDETUR. Neg. Conf. quia ut excedens illud objectum attingat, sufficit illi proportionari non objectum; hoc enim solo se potest præstare omnia, sed ipsam potentiam; quod fit, elevatione ejusdem, quam perficit lumen gloriæ. Addo, quod objectum illud habeat vim proportionandi sese, quam posset habere species impressa, quam vim proportionandi sese non habet objectum materiale respectu Angeli.

DIFFICULTAS II.

De Lumine gloriæ.

PRÆMITTO 1. *Dari lumen gloriæ:* quia ita definitur Viennense sub Clem. 5. ubi damnata est hæc propositio; *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum.* Et ratio est, quia intellectus noster est improporionatus ad videndum Deum, utpote objectum excedens, ergo debet ab aliquo proportionari, nomine autem hujus proportionativi, venit lumen gloriæ.

PRÆMITTO 2. *Quid sit lumen gloriæ?* quoad quid rei Nomine hoc venit qualitas specialis supernaturalis, elevativa potentiæ intellectivæ, ad visionem Dei. Quoad quid vocis, appellatur hæc qualitas lumen, quia sicut sine lumine corporali non percipitur objectum, ita nec sine illo adiutorio, saltem connaturaliter loquendo.

PRÆMITTO 3. *Lumen gloriæ non est ipsa visio:* quia citata Clementina, quæ incipit ad nostrum, de hæret: condistinguit visionem à lumine: non item est gratia Dei; quia hæc datur viatoribus, lumen non nisi comprehensoribus. Nec est actualis Dei concursus, quia hic præter lumen gloriæ est adhuc requisitus. Sed superest querere de Muniis luminis gloriæ.

Punctum

Punctum Difficul-

ratis 1.

Quodnam sit munus Luminis gloriæ?

DICENDUM est. *Lumen gloriæ non esse speciem impressam Dei, adeoque nec idem habere*. Est contra Vasq. Oviedo & contra Esp. q. 12. est communis reliquorum, quos citat, & sequitur Quiros d. 28. num. 3.

PROBATUR 1. Auctoritate: Quia de fide est lumen gloriæ requiri ad visionem Dei per Viennensem; & tamen non est de fide dari speciem impressam Dei. Ergo lumen gloriæ & species impressa non sunt idem. Faver S. Thom. hic. ar. 5. ad 1. suggeritque hunc medium terminum. Quia habitus alii supernaturales, non sunt species impressæ, nec se tenent ex parte objecti; sed præter species objecti v. g. fidei, requiruntur habitus principians illos actus, ut conaturaliori modo fiant. Ergo & lumen gloriæ non erit species impressa; sed tenebit se ex parte potentia dans ipsum posse. Deinde lumen exteriorum sensuum non se tenet ex parte objecti, nec est species objecti; Ergo neque lumen gloriæ, si cetera sint paria, ut sunt;

Quando verò S. Thom. lumen gloriæ appellat similitudinem essentie divinæ, id dicit eo sensu, quod lumen gloriæ sit similitudo, hoc est, participatio luminis divini; nam etiam virtutem intellectualem, vocat ibidem, similitudinem divinæ essentie.

PROBATUR 2. Quia hæc sententia multiplicat entia sine necessitate, nam præter lumen gloriæ quod per illam, est ipsissima species impressa, dari debet adhuc principium completens & roborans ipsam potentiam; nam etiam ipsa potentia influit in actum, qui censetur esse elevatus; hoc autem elevativum non erit lumen gloriæ, nam se tenebit jam ex parte objecti; hoc autem elevativum deberet se tenere ex parte potentia. Et sicut positis credendo non speciebus; pone etiam in entitate supernaturalibus, requiritur adhuc habitus fidei completens proximè potentiam, ita & in præsentia.

PROBATUR 3. ex iis, quæ adfert Quiros. Tum quia potentia noscitiva non indiget specie, quando præsens est objectum, ex se sufficiens ad concurrendum; & tamen indiget lumine gloriæ. Tum quia lumen debet elevare, species impressa non elevat quæ talis, quia etiam ad objectum quæ tale, non pertinet elevare. Tum quia improprio & incompletio ad elevandum actum, potest & ex parte potentia, & ex parte objecti cogitari; hanc species tollit, illam debet tollere aliud principium, & hoc erit lumen gloriæ.

OBJICITUR 1. cum Vasq. Duæ causæ non possunt concurrere ad eundem effectum nisi

singulis illarum respondeant particulares formalitates, ergo cum intellectui & lumini gloriæ, nulla respondeat formalitas, non poterit dici, quod utrumque concurrat, nisi dicatur, quod lumen gloriæ, teneat se ex parte objecti.

RESPONDET Arriaga Neg. Ant. nam non respondent duæ diversæ formalitates concursui causæ primæ, & concursui causæ secundæ: Nec alia formalitas respondet concursui animæ, & alia concursui intellectus, distincti in sententia Vasquez realiter, ab anima. Deinde quam Vasq. formalitatem, exceptâ denominatione quod sit à lumine gloriæ, ostendet in visione Dei, eandem nos ostendimus. Denique ostendi hæc formalitas posset, nempe ipsa actio prout proficiscens à potentia elevatâ, vel potius elevante principio.

OBJICITUR 2. cum Esp. q. 12. Nulla causa efficiens est elevabilis divinitus, præterquam ad effectus specialiter affines effectibus connaturalibus, ergo intellectus solâ specie impressâ Dei, nullaque aliâ qualitate erit elevabilis.

RESPONDETUR. Ant. negari in materia de potentia obedientiali. Sed & neg. consequ. quia sicut præter species actus fidei, debet elevari potentia per habitum fidei, ita & in præsentia, hæcque elevabilitas, ut dixi, non potest tribui speciei impressæ.

INSTAT 1. Idem. Intellectus est naturaliter expers omnis luminis, distincti à speciebus impressis objectorum, non secus ac potentia materialis visiva, est naturaliter expers, omnis cognitionis circa Deum; Ergo intellectus ita erit inelevabilis per aliud, quam per species, ac potentia materialis est inelevabilis ad visionem Dei.

RESPONDETUR. Cum nomine luminis gloriæ veniat ipsum elevativum supernaturale, & cum in ordine naturali non sit necessarium illud elevativum, hoc ipso in ordine naturali, non debet dari ullum lumen distinctum à specie & potentia, quamvis derur in ordine supernaturali.

Deinde absolute loquendo falsum est Ant. quia de facto præter species & potentiam, dantur aliqua principia tenentia se ex parte potentia Intellectiva, quales sunt habitus; poterit ergo dari & lumen gloriæ, tenens se non nisi ex parte potentia, tanquam elevativum.

Inelevabilitas potentia materialis ad visionem loquendo de potentiis, quæ nunc dantur, petitur ex eo, quia non proficisceretur ille actus ab intrinseco; & quod nullas intellectiones producat de facto potentia materialis, quæ rationes non militant, ne à lumine gloriæ, eleve- tur potentia.

INSTAT 2. Intellectiva est effectrix imaginum formalium, circa quæcunque objecta; potentia autem hoc modo assimilativa, solum potest juvari per comprincipia pariter assimilativa;

Q 4

hoc

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Tom. I. c. 2.
D. VI
S

hoc autem non est aliud, quam species impressa; hæc enim sola est contentiva specialiter objecti; Ergo cum hoc habeat lumen gloriæ, illud erit formalissimè species impressa Dei.

RESPONDETUR. Speciem non esse specialiter contentivam objecti, contentivi ate principii tenentis se ex parte potentia, illamque elevantis.

INSTAT 3. Species creaturarum in tantum juvant ad cognitionem abstractivam Dei, quatenus continent intentionaliter ipsas creaturas, quæ sunt similitudines physicae Dei, ac proinde continent in se intentionaliter Deum, participatum; Ergo neque lumen gloriæ posset quocunque modo conferre ad visionem, si Deum ipsum secundum se non contineret intentionaliter.

RESPONDETUR. Hanc intentionalem continentiam Dei in lumine stare in vi elevativa intellectus, quæ convenit lumini.

Quando autem dicit idem, si Deus exhiberet concursum illum objectivè & immediatè, tam ut quo, quam ut quòd: Item, si per impossibile vel possibile poneretur species impressa Dei, non esset jam necessarium lumen, id etiam non convincit; nam ad connaturalius agendum esset necessarium lumen elevans, quamvis absolute loquendo hæc elevatio posset perfici per auxilium extrinsecum, & per concursum Dei, ut quo; posita etiam specie impressa, adhuc esset necessarium lumen tanquam elevativum potentia, & à parte illius requisitum.

OBJICITUR 3. ex Oviedo. Lumen gloriæ concurrat ad visionem, potentiam intellectivam elevat, nec est ad quemcunque effectum, sed ad visionem, terminatam ad naturam divinam; Et cum sit supernaturalis, dat potentia supernaturalisationem; Ergo in lumine gloriæ reperiuntur omnia prærequisita ad visionem.

RESPONDETUR. In lumine reperiri omnia prærequisita tenentia se ex parte potentia; sicut & in habitu fidei reperiuntur omnia requisita ex parte potentia, ut fiat actus fidei; neque tamen habitus fidei, est species impressa.

Quando autem inquit, quid sit hoc quòd species impressa teneat se ex parte objecti, non ex parte potentia? Ad hoc responderi potest, inquirendo, cur habitus fidei teneat se ex parte potentia, nec sit species impressa? Directè autè dici potest, quòd ad notitiam primitivè requiratur potentia & objectum, & quia fieri potest, ut utrumque vel velit, vel possit, vel debeat alio comprincipio uti; cum principia quæ determinavit sibi objectum futura sint ex parte objecti, quales sunt species; principia illa quæ sibi determinavit potentia, tenebunt se ex parte potentia, qualis est v.g. habitus.

Ut autem colligatur, quodnam comprincipium determinet sibi potius potentia, quam objectum, id in primis exinde colligi potest,

quia scilicet si ipsum principium habeat se per modum potentia, detque vel simpliciter, vel facile posse, hoc ipso tenebit se illud principium à parte potentia, cumque lumen gloriæ det simpliciter posse, hoc ipso tenebit se à parte potentia.

Rursus colligi id debet ex proportionem ab evidentibus ad inevidentia, cum ergo videamus species productas ab objectis ex parte objecti se tenere, non ex parte potentia: Item cum videamus species, quamvis complentes potentiam ex parte objecti, non tamen tribuere robur & vires agendi potentia, fit, ut illa principia, quæ etiam vires & robur agendi tribuant, debeant non se tenere ex parte objecti, sed ex parte potentia, tale autem est lumen gloriæ.

INFERES 1. Lumen gloriæ non habere rationem determinantis ad visionem. Ratio quia quamvis lumine gloriæ intellectus informatus, nunquam cesset à visione, nihilominus hoc officium commodius tribuitur ipsi objecto; sicut in aliis intuitivè cognitis; præcipue cum non appareat implicancia, cur divinitus non possit Deus, etiam posito lumine gloriæ, subtrahere suum concursum? Unde apparet, illud lumen non esse essentialiter determinativum, ad visionem, de quo hic agitur.

INFERES 2. Lumen gloriæ quamvis possit habere rationem objecti formaliter intelligibilis, respectu intellectus, quæ noscatur ipsum lumen, ut constet ex Anim. non tamen quæ noscatur ipse Deus: Quia lumen illud non esset Deus, consequenter intellectus luminis non esset intellectus Dei, de qua tamen intellectioe hæc res est.

INFERES 3. Lumen gloriæ non habere munus illuminandi formale objectum visionis, seu essentiam divinam: Quia inimaginabile est, qui ipsum lumen gloriæ, dicatur illuminare essentiam divinam, & quæ illic tenebræ concipi possint, quas tollat lumen? Et sicut lux materialis non illuminatur alia luce, ite nec lumen increatum, illuminabitur creato.

INFERES 4. Lumen gloriæ non habere formalitatem dispositionis ad recipiendam visionem supernaturalem. Ratio, quia illa ipsa dispositio est supernaturalis, & tamè ad eam recipiendam non est necesse habere aliam dispositionem supernaturalem; Ergo neque erit necesse habere eandem ad recipiendam visionem. Aliud est de dispositionibus accidentalibus per ordinem ad formas substantiales, quia illas ratio, & experientia probat; quæ non militat in præfenti.

INFERES 5. Lumen gloriæ posse dici dispositionem ampliori modo; nam instruit intellectum, ut producere possit visionem.

Ex dictis autem vides, quòd definitivè lumen gloriæ sit *Qualitas supernaturalis elevans intellectum creatum ad ponendam visionem Dei.*

Pun.

Punctum Difficultatis 2.

An sine lumine gloria possit Deus videri?

Negant Thomistæ. Affirmant communiter alii. *Cum quibus*
DICENDUM est. *Sine lumine gloriæ, posse Deum videri, Deo supplente concursum luminis.*

PROBATUR 1. Quia non implicat contradictionem; ita ut sine ullo intrinseco, quamvis transiente, perficiatur illa visio.

PROBATUR 2. Quia alios actus supernaturales tam intellectus, quam voluntatis, de facto exercemus interdum cum solo adiutorio extrinseco, ut cum ponitur primus actus fidei in adultis quem sequitur infusio habitus; item tum in mortali, ponimus actum charitatis, quem sequitur infusio habitus: Ergo & in presenti fieri poterit.

PROBATUR 3. Quia una causa iuvat aliam per solam assistentiam extrinsecam; causa item prima causam secundam; Ergo & in presenti fieri poterit.

OBJICITUR 1. Citata Auctoritas Viennensis.

RESPONDETUR. Viennense loqui de lege ordinaria.

OBJICITUR 2. Quia sine lumine gloriæ & postea anima videre Deum, & non posset; posset quidem ut supponitur; non posset autem; quia sine viribus, non potest elicere actum visionis; iam autem vires agendi, sunt à lumine.

RESPONDETUR. Vires quidem agendi esse à lumine, sed nego quòd à solo.

INSTABIS. Intellectus est intrinsecè impotens ad visionem Dei ponendam; Ergo ut hanc denominationem amittat, debet poni intrinsecum mutatio.

RESPONDETUR. Etiam posita elevatione per lumen quod sit qualitas permanens, in intellectu, manet intrinsecè impotens ad videndum Deum, quia intrinseca illius impotentia, & est quædam potentia naturalis, inferior, objecto excedente; sed solum illic extrinsecè redditur potens, quamvis per aliquid in se receptum.

OBJICITUR 3. P. Laurentius Pikarski, & ad argumentum supponit textum Arist. 3. de An. t. 3. *Quia sensivum se habet ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia.* Subsumit, Lumen materiale eatenus conducit ad visionem corpoream, quatenus est quædam materialis dispositio visivæ ad corpoream visionem; Ergo & lumen gloriæ eatenus conducit ad visionem intellectivam Dei, quatenus est quædam dispositio potentie intellectivæ ad intellectivam Dei visionem. Atque simul conseq. probatur. Eatenus lumen materiale est dispositio, quatenus visivæ offert consonantiam ad objectum visibile corporeum, sine qua consonantia non posset esse corporalis visio; lumen autem gloriæ adfert

etiam similem consonantiam. *Quod ulterius in hoc fundat discursu.* Sensatio proinde & visio, est quædam consonantia seu similitudo, & proportio sensus & sensibilis, seu visus & visibilis, quæ sublatâ, impossibile est fieri sensationem, siquidem ratio ipsius sensationis, & hæc ipsa consonantia; hinc docet Phil. 2. de An. t. 23. hanc esse causam propter quam excessus seu exuperantia corrumpant sensoria, & sensationes, quia si fortiter sensorio incidat motus, solvitur proportio quæ erat ratio sensus, sicut etiam tollitur consonantia nimium extensis vel percussis chordis.

Quando etiam visibile ponitur super oculum, non fit visio, quia ut fiat, necesse est inter oculum & colorem fieri consonantiam, ut sibi assimilentur secundum quod sunt in actu; hoc quidem visus; hoc verò visibile in actu; cum enim color non sit in se similis actu potentie visivæ, siquidem hæc est diaphana, seu perspicua illa non sit, fit postea talis actu, mediante aëre, vel aqua, vel aliquo simili diaphano, quod illuminatur ad præsentiam coloris, & ipse oculus cum est in actu, est perspicuus, hoc est diaphanus in actu, illuminatus nimirum ad præsentiam coloris: Quoniam ergo color positus super oculum, neque est per se neque mediante altero similis oculo, secundum quod est oculus in actu visivi, hoc est perspicuus, idèd positus supra oculum, non facit visionem: Necesse est igitur ut fiat consonus oculo, à lumine materiali: Ita etiam lumen gloriæ, quod est quædam participatio specialis luminis & splendoris divini, adfert beato consonantiam splendoris, & perspicui supernaturalis ad splendorem, & perspicuum divinitatis intelligibile. *Quod totum sic in argumentum colligitur.*

Impossibile est esse visionem sine consonantia, cum omnis visio consequenter & intellectio sit consonantia quædam; Ergo impossibile est esse visionem Dei sine lumine gloriæ; hoc enim præstat dictam consonantiam.

RESPONDETUR 1. Quod omnibus istis positis, & dictis, nondum appareat, quid in re sit ista consonantia; si enim ista consonantia est similitudo, quæ habetur per speciem expressam, id quidem verum est, sed nihil est contra nos; nam etiam nos dicimus, quod visio sine tali similitudine, perfecte non possit, cum visio sit formaliter illa similitudo; & sicut cognitio non potest esse sine cognitione, sic etiam non potest esse sine similitudine; nego tamen quòd hæc similitudo sit lumen gloriæ; cum potius, ut supra dictum, ad illam ponendam requiratur; & cum ad lumen gloriæ, non nisi passivè se habeat intellectus, sicut & oculus ad lumen materiale; è contra cum ad intellectionem, & visionem, quæ sunt quædam consonantia active se habeat, fit ut non in lumine, dicta consonantia consistat.

RESPONDETUR 2. Assumendo objectionem pro probatione conclusionis, quia posita exupe-

R. P.
H. MŁOD
ANOWSKI
Bm. de. Z.
VI

exuperantiâ potest adhuc divinitus fieri sensatio, itemque potest fieri extensis, vel percussis nimium chordis sonus, adeoque sublatâ consonantiâ. Item non implicat digitum positum supra oculum videri, quo casu erit visio, & non consonantia; Ergo etiam possibile erit sine lumine gratiâ videri Deum.

RESPONDETUR 3. Argumentum multum probare, quia etiam intellectio, quæ est primus actus fidei in adultis, est consonantia intelligibilis & intellectivi; illuminationes item quæ fiunt in nobis sine nobis; & tamen omnia hæc habentur sine consonantia, quam faciat qualitas aliqua, antecederet posita; Ergo idem dicendum de lumine gloriæ.

INSTABAT 1. Idem ex 3. contra gen. cap. 33. sed

RESPONDETUR. Illo loco non plus voluisse S. Thom. quàm quod intellectio divinæ essentia, debeat esse similitudo quædam Deitatis, participans eandem pro illo statu.

INSTABAT 2. Nec seipso, nec per auxilium extrinsecum potest Deus facere ut hic panis, qui seipso non est similis alteri, fiat ei similis nisi per susceptionem novæ qualitatatis; hæc autem qualitatatis in præsentī non alia est, quàm lumen gloriæ, impossibile item esse fidem sine obscuritate, spem sine arduitate; Ergo & visionem sine lumine gloriæ.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia relatio similitudinis, in re, nihil aliud est, nisi hoc & hoc album; si ergo non ponatur hoc & hoc album, hoc ipso non ponetur relatio in re; falsum autem est, quod in re visio Dei sit, intellectus & lumen.

Deinde non posita obscuritate in fide, arduitate in spe, nec fides, nec spes dabitur, ut suppono ex materia de fide, poterit autem habere totam suam speciem visio sine lumine gloriæ; cum non diversificetur à lumine gloriæ.

INSTABAT 3. Impossibile est fieri justificationem peccatoris sine mutatione intrinseca, ergo & fieri visionem sine lumine gloriæ. Responsum est ad Ant. in materia de Pœnitentia.

DIFFICULTAS III.

De principio visionis, quod est intellectus.

SI exactè de hac materia deberet tractari, desberent ea transcribi, quæ habentur in Animateis de Intellectu, & ex materia de sacramentis circa potentiam obedientialem; hic non nisi propria huius loci, perstringenda.

ASSERO 1. *Intellectum nostrum ad visionem beatam concurrere effectivè.* Tum quia ita S. Thom. hic q. 12. a. 5. in corpore. Tum quia visio est actus vitalis; Ergo ad illum effectivè con-

currere debet potentia vitalis. Tum quia in aliis habitibus supernaturalibus, potentia vitales ad actus concurrunt effectivè. Unde Trid. Sess. 6. c. 4. docet, quod in opere justificationis merè passivè nos non habeamus; Ergo idem effectivus concursus tribuendus erit, Intellectui etiam ad visionem.

ASSERO 2. *Intellectum prout condistinctum lumini, esse quidem causam remotam, principalem tamen visionis.*

Quod sit causam remotam. Ratio est, quia non habet omnia complementa, ut expedite exeat in visionem.

Est nihilominus causa principalis. Tum quia respectu vitalitatis debet assignari causa aliqua principalis, quæ reperitur etiam in visione; non est autem alia causa, quàm Intellectus. Tum quia incompletio illa, quam habet intellectus ad actum naturalem sine specie impressâ vicariâ objecti, vel sine ipso objecto, non impedit quominus dicatur adhuc intellectus causa principalis; ita & in præsentī incompletio illius ad actum supernaturalem, auferibilis à lumine gloriæ, non faciet, ut sit causa, non nisi instrumentalis. Tum quia nomine causæ principalis, vel venit causa primò & per se requisita ad ponendum effectum, sic causa, quæ est intellectus, erit principalis respectu visionis, in quantum vitalis est; vel nomine causæ principalis venit causa non operans ex proprio impulsu; quis autem impulsus imprimitur intellectui? Vel causa instrumentaria est, quæ non concurret virtute propriâ: At nonne intellectus ad formalitatem vitalitatis concurret virtute propriâ? Et hoc ipso si non concurreret virtute propriâ, non esset ille effectus vitalis. Denique si accipias nomen causæ instrumentalis pro ea causa, quæ ponendo effectum, non ponit actionem, sibi suæque virtuti proportionatam, adhuc Intellectus erit causa principalis respectu vitalitatis proportionatæ illi principio.

ASSERO 3. *Immediatè concurrere intellectum ad visionem.* Tum quia quâcunque posita mediatione non poterit ostendi, quid actus ille vitalis sit? Tum quia si non concurreret immediatè, ex eo non concurreret, quia concurreret ut elevatus, & completus à lumine, hoc immediationi non obstat, quia completur etiam intellectus à specie impressâ, objecto, habitu, & tamen his non obstantibus, concurret immediatè, ergo idem dicendum in præsentī.

Sed quænam est operatio intellectus visio Dei? Commodè dicitur esse æquivalentem omnibus tribus, nam dum apprehendit Deitatem, est prima operatio; in quantum iudicat Deitatem his attributis ornatam, erit secunda operatio; & in quantum agnoscit Deitatem esse causam creaturarum, est quasi tertia operatio.

DISPU.